Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0001-5

Lælius Lucchini
de [illegible]

Bonus
Vergara
[illegible]

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera.
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0002-1

Ce 1722



# De Conſtitutione partium Univerſæ *Humanæ & Civilis* PHILOSOPHIAE:

*Quam Ariſtoteles ſapienter conſcripſit:*

*Ad*

Clariſs. & nobiliſs. virum Thomam Maripetro, patritium Venetũ, &c.

*Jaſonis Denores*

*PRAEFATIO:*

*In Gymnaſio Patavino publicè habita.*

AMBERGÆ.

M. D. XCVII.

Ex donatione H. Salmuth [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0003-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0004-2

# CLARISSIMO, ET NOBILISSIMO JUVENI, THOMÆ MARIPETRO, Clariſsimi viri Stephani Filio, Patritio Veneto.

*Jaſon Denores. S. P. D.*

QUemadmodum Philoſophorum duo ſunt genera, Thoma Præſtãtiſsime; alterũ eorum, qui ad communem utilitatem, cujuſmodi ſemper omnium ſeculorum conſenſu habitus eſt Ariſtoteles; alterum eorum, qui ad inanem ſui ipſorum oſtentationem omnia referunt, in quorum numero ii merito cenſeri debent, qui Sophiſtę potiꝰ appellantur ita pariter duplex reperitur, eaq; diſpar interpretum ratio; altera eorum, qui in de-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0005-8

cendis liberalibus diſciplinis legitime verſantur; altera eorum, qui relicta penitus recta progrediẽdi via ambitioſe vulgarium hominum popularem auram tantummodo aucupantur, quibus nihil eſt à Philoſophia ipſa magis alienum. Ex his utriuſq; in Ariſtotele, Philoſophorum omnium Principe exponendo, eos abhorrui, qui contentionũ cupidi, ita quibuſdam involucris obruunt optimarum artium parentem, ut ejus potius adumbrata quadam, quam vera & ſolida intelligẽtia animos informare videantur: Eos imitandos exiſtimavi, qui omnem cogitationem ad hoc potiſsimum conferrent, ut qui ſapientiæ ſtudio tenerentur, ad ejus perfectam cognitionem facilius pervenire poſsẽt. Hoc longe præclariſsimũm interpretandi inſtitutum non ſolum in quotidianis diſputationibus, verum etiam multo magis in iis prælectionibus, quæ ſingulis annis ante legitimam interpretationem haberi conſueverunt, diligen

ter mihi obſervandum putavi. Quamobrem cum hoc anno ex veteri conſuetudine primum librum Moralium Nicomachiorum in hoc Gymnaſio eſſem explicaturus, atque hanc præfationem de Conſtitutione partiũ Univerſæ Humanæ, & Civilis Philoſophiæ ad audientium eruditionem, non ad fictæ gloriæ commendationem habuiſſem tandem, ut in publicum emitterem: cum multi id à me enixe efflagitarent: non invitus eorum voluntati ſum obſecutus. Eam vero, qualiscunque erit: erit autem profecto meæ in te obſervantiæ non obſcura ſignificatio: à me tibi jure optimo deberi intelligo, qui tua ſtudia ad hoc præſertim applicueris, ut ſemper malueris eſse, quam videri, atque ita ad Philoſophiæ hujus præcepta omnem vitam inſtitueris, ut difficile dictu ſit, utrum doctrina, an optimis moribus, reliquis tuæ ætatis æqualibus antecellas. Amplectere igitur ab omnibus penè deſtitutum hujus Humanæ, & Civilis Phi-

loſophiæ ſtudium, quæ animum tuum ſalutaribus admonitionibus ad omnẽ laudem conformabit, & comes tibi aderit in omni ætate, & fortuna, atque ad eos honorum gradus in tua Optima, ac Præſtantiſsima Republica brevi te perducet, ad quos aſcendere paucißimis, & tui tantummodo ſimilibus datũ eſt. Me autem, ad adjuvandos tuos progreſſus in hac doctrinæ ratione ſemper paratiſsimum, qui in te amando, atq; colendo nemini concedo, in tuorum numero aſcribas, & à malevolorum obtrectationibus tueare. Vale. Patavii Prid: Kal: April: M. D. LXXXIIII.

Con-

# DE CONSTITUTIONE PARTIUM UNIVERSÆ HUMANÆ, ET CIVILIS PHILOSOPHIÆ, QUAM ARISTOTELES SAPIENTER CONSCRIPSIT.

## IASONIS DENORES PRÆFATIO: CUM IN GYMNASIO PATAVINO PRIMUM LIBRUM Moralium Nicomachiorum interpretaturus eſset: publicè habita.

*AVſpicaturus de integro hoc anno Deo Optimo Maximo auxiliante ex more, inſtitutoque nobis præſcripto interpretationem primi libri Moralium Nicomachiorum Ariſtotelis operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi antea introductionis loco de conſtitutione partium Univerſæ hujus Humanæ, & Civilis philoſophiæ breviter agerem. Neq; erit de re levi hæc hujuſmodi pertractatio, ſed de re graviſſima,*

*ac præſtantiſſima, & omnium ſtudiis, qui ad hanc philoſophiæ partem animum intenderint, maxime accommodata. Inde autem diſputatio hæc noſtra proficiſcitur, unde ex authoris conſilio; ex re ſubjecta, quam ſibi proponit; ex ordine, in quē omnes partes cōvenienter diſtribuit, & diffinitionem, & diviſionem atq; integram hujus philoſophiæ imaginem quaſi propriis oculis intueamur. Philoſophia itaq; omnis Humana Activa, Moralis, & Civilis cum arte maximam videtur habere convenientiam, & ſimilitudinem. Nam quemadmodum artifex, qui primo opificium aliquid eſt effecturus, ejus formam concipit, materiam quærit, quæ apta ſit ad eam ſuſcipiendam, inſtrumenta comparat tā animata, quam inanimata, per quæ formam commode inferat in materiam: eadem ratione philoſophus moralis & ciuilis finem actionū humanarum animo, & cogitatione complectitur, qui reſpondet formæ; ſubjicit ſocietatem civilem, in quam introducere eum congruenter poſſit, qui reſpōdet materiæ; adhibet optimam rempublicam, ejusque leges tam*

*publicas*

publicas, quam familiares, per quas id, quod intenderat, facilime conſequeretur, quæ reſpondent inſtrumẽtis animatis, & inanimatis atq; hãc eſſe præcipuã ejus intentionem profitetur. Ex qua deducere nõ incommode etiam poſſumus, civitatẽ ipſam, dirigendã ad felicitatem per optimam rempublicam, ejuſq; leges tã publicas, quã familiares eſſe ejuſdem philoſophiæ ſubjectum univerſale, & adæquatũ. continet enim in ſe omnes partes, quæ principem locum tenent in hac ipſa pertractatione, neque eas excedit, neq; ab eis exceditur. Conſtituta namq; civitate dirigenda ad felicitatem per optimam rempublicam, ejuſque leges tam publicas, quam familiares, habet locum & omnis philoſophia activa, humana, & civilis, & ſublata hac ipſa civitate ea nullum amplius habere locum videtur. Dempta enim hujusmodi ſocietate civili, tanquam toto demitur & tractatio felicitatis, quæ decem libris ethicorũ, & tractatio reipublicæ legumq; publicarum, & familiarium, quæ octo libris politicorum & duobus œconomicorum continetur, & ſiqua alia inſtitutio pertinet ad in-

*formandum hominem, ut animal civile, & partem civitatis. nam quemadmodum deſtructo hoc, atque illo animali, deſtruitur omnis ars, & facultas, & diſciplina, quæ in eo aliqua ratione verſatur: ita everſa civitate dirigenda ad felicitatem per optimam rempublicam, & per ejus leges tam publicas, quã familiares evertitur & univerſa humana philoſophia, quæ à civitate communi nomine politica, & civilis denominatur. Cõſtat quin etiam hoc ſubjectum adæquatum, quod ei nos jam tribuimus, ex re ſubjecta, quæ eum locum habet in hac ipſa philoſophia, quem habet res conſiderata in philoſophia ſpeculatrice; & ex fine, qui in eadem eſt, tanquam modus conſiderandi. Res namq; ſubjecta eſt civitas, ut affirmat Ariſtoteles in principio œconomicorum. Finis vero, qui in eam eſt introducendus, eſt felicitas, ad quam dirigi civitas debeat. unde & civitatis bonum appellatur. Quod autem felicitas ſit finis, qui recipiendus ſit à civitate, probat idem Ariſtoteles & in principio primi capitis primi & in octavo capite ſeptimi libri politicorum.*

*Ex*

*Ex hoc ſubjecti univerſalis conſtituto jam firmamento, tanquam ex genere colligitur & ſubjecta materies ſingularum partium. ea erit in prioribus decem libris, qui ethica Nicomachia inſcribuntur, felicitas ipſa, cum in iis nihil aliud pertractari videamus, quam, aut felicitatis diffinitionem, aut partes diffinitionis, ut præ ſe fert Ariſtoteles capite ſexto decimi libri ethicorum, ubi colligit ſuperioribus libris ſe egiſſe de felicitate. In primo libro politicorum erit civitas, & eæ ſocietates, quæ eam componunt. In proximis ſex libris uſque ad tertium decimum caput ſeptimi libri, erit optima reſpublica. In reliquis quinque capitibus ejuſdem ſeptimi libri, & in toto octavo politicorum, ac poſtremo in duobus libris, qui œconomica nuncupantur, erunt leges: eæque, aut publicæ, aut familiares, ut licet videre ex propoſitione Ariſtotelis; cum in ſecundo capite primi libri, ubi proponit ſe pertractaturum de ſummo bono, & de fine rerum agendarum; tum etiam in ultimo capite ultimi libri de moribus, ubi proponit ſe pertractaturum in ſequentibus decem libris de republica, & de*

*legibus, quæ ſunt, ut diximus, aut publicæ, aut familiares. Ex hujusmodi animadverſione, & ex jam adducta ſimilitudine ordo quoque ipſe, quo hæc, atque illa pars diſponendæ & collocandæ ſint, non obſcurè, ut arbitror, apparebit. Etenim ſicuti, in intentione opificis, ut oſtendimus, primum omnium occurrit forma, inde materia, tum inſtrumenta animata, & tandem inſtrumenta inanimata: ita philoſopho morali, & civili prius in mentem venit finis, poſt civitas, tum reſpublica, poſtremo leges publicæ, & familiares. Hæc autem progreſſio appellatur ab Ariſtotele ordo ad principia: quoniam ſi quando eo utimur, exordimur à fine, atque inde progredimur ad ea, quæ in actione finis ipſius cõſecutionem antecedunt. Ex ſuperiori intentionis, & ſubjecti, tum univerſalis, tum particularis conformatione, & ex ordine, quo partes ſingulæ ſunt tradendæ, derivare facile poſſumus hujus philoſophiæ diſſinitionem. Ea igitur erit diſciplina dirigens ſocietatem civilem ad propriam felicitatẽ per optimam rempublicam, ejusque leges, tam publicas, quam fami-*

*familiares. Atque hæc eſt, ut exiſtimo, ejus perfecta compoſitio, & conſtitutio, quæ ex eo potiſſimum intelligitur: quia in ea & finis optime conſtitutus ſit, & res ſuſceptura finem convenienter ſubjaceat, inſtrumenta adſint, maxime accommodata ad introducendum eum finem in eam materiam. Vbi enim ex ſententia Ariſtotelis in tertiodecimo capite ſeptimi libri politicorum nihil harum rerum deſideratur, ibi plenum quid, atque abſolutum ſolet exiſtere. Hanc à me traditam philoſophiæ humanæ, civilis vel definitionem, vel deſcriptionem poſſum, vel ex ipſo Ariſtotele confirmare, cum in nono capite primi libri Ethicorum aſſerat, facultatem hanc magnã adhibere diligentiam, ut cives ipſos diſponat, bonoſque efficiat, & ad honeſtas res agendas idoneos reddat, quod præſtat per optimã rempublicam, & per leges publicas, & familiares. Verum quoniam hæc philoſophiæ civilis à nobis tradita conſtitutio quibuſdã fortaſſe videri poſſet deficere ab ea forma, atq; pfectione quã ei ex Ariſtotele attribuimus, quod in ea fortaſſe aliquid alieno in loco ſit collocatum, di*

*ſtinctis, & cõſtitutis ſingulis hujus ꝑtractationis partibus. oſtendam breviter nihil poſſe ex docẽdi ratione in hac ipſa philoſophia immutari ſine aliquo ejus incõmodo, ac detrimẽto. Videamus itaque, an felicitati: quoniam is eſt exorſus diſputationis noſtræ alius locus cedendus ſit, præter eum, quẽ ei Ariſtoteles prudentiſſime accõmodavit. proinde felicitas ex ſui natura has videtur habere attributiones ex ratione ipſa, & ex graviſſimorũ virorum, & præcipue Ariſtotelis approbatione, ut ſit tanquã ſcopus, ad quem dirigere omnes noſtras actiones debeamus, ſit quemadmodũ ſunt in mathematicis ſuppoſitiones, ſit principium, & cauſa bonorum omnium, ſit deniq; veluti præmium propoſitum recte agentibus. Sed ut ſcopus nulla ſane alia in parte doctrinæ ordine collocari poteſt, quam in prima ſede hujus humanæ, & civilis philoſophiæ. Etenim qua nam ratione animos civiũ inſtituemus ad honeſte ex virtute agendum, niſi prius iis felicitatẽ ipſam propoſuerimus, ad quam ſpectantes rectum, honeſtumque facilius attingant? ſi vero eandem ſumamus, ut ſuppoſitiones in mathematicis*

*ticis, nullũ alium, ut ſequitur, gradum ei tribuendum eſſe judicabimus, quam primũ omnium, & eminentiſſimum. Ea enim, quæ à reliquis hujus philoſophiæ partibus ſupponuntur, non poſſunt non eſſe priora doctrinæ ordine iis, quæ ea ſupponũt. Quod vero civitas, ut ſibi præcognoſcendam, reſpicere debeat felicitatẽ, ex hoc haberi facile poteſt: quoniã ex graviſſimorum virorum judicio, & præcipue Ariſtotelis in ſeptimo capite ſeptimi libri politicorum ea in regione orbis terrarum ſit conſtituẽda, in qua homines ex caloris, & frigoris temperamento producantur aptiſſimi tam ad actiones virtutũ moralium, quam, ad actiones virtutũ intellectivarũ, tam ad temperantiã, quã ad fortitudinẽ, tam ad bellum, quã ad pacem, tam ad imperandum, quã ad parendũ. Quis igitur Euclidem nõ improbaret, ſi prius attuliſſet in ejus libris propoſitiones, quã ſuppoſitiones, quæ ſupponuntur ab ipſis propoſitionibus? & quis rurſus non graviter reprehenderet Ariſtotelem, ſi in hac partium philoſophiæ humanæ cõſtitutione, civitatẽ præpoſuiſſet felicitati? Iã illud quæram⁹, an reſpublica quoq;*

*ipſa ad ſui conformationem depoſcat felicitatem: poſteaquam de civitate jam ex adductis rationibus clariſſime pateat. Cum itaque reſpublica ſit eorum gubernatio, qui in civitate degunt, ut eam diſſinivit philoſophus in principio tertii libri politicorum; & nihil aliud ſibi proponere videatur, quam per magiſtratus modo invitare, modo impellere ſocietatem civilem ad actiones virtutum, quanam via ad extremum id perducet, quod jam ſibi propoſuerat, niſi antea pfecte cognoverit? Quod autem ea eſſe debeat ejuſmodi confirmat Ariſtoteles tertio decimo capite ſeptimi libri politicorum, dum deſcribit optimam rempublicam eſſe, per quam civitas optime gubernetur, optime autem eam gubernari ſubjungit, ſi felicitatem maxime recipiat. Unde & in principio ſeptimi libri ait: de optima republica recte quærere inſtituenti neceſſarium eſſe prius determinare, quæ vita ſit maxime expetenda. Vitam autem maxime expetendam intelligit felicitatem: quia & bene vivere, & bene agere idem ac felicem eſſe, & vitam hujusmodi eſſe ipſammet felicitatem pluribus*

*in*

*in locis interpretatur. Eadem quoque legum ratio eſt: quoniam eas actiones illæ pariter jubeant, quæ dirigunt homines, in civitate degentes ad hanc ipſam felicitatem adipiſcendam. Hactenus perſpicuum eſſe arbitror, felicitatem ſupponi à civitate, ſupponi ab optima republica, ſupponi à legibus. Quare ut ſuppoſita nulla ratione poterit non eſſe anteponēda his à nobis enumeratis philoſophiæ hujus partibus. Quod ſi felicitas quoque ſuſcipiatur, ut principium, & cauſa bonorum, quis inficiabitur, eā debere eſſe primam? cum Ariſtoteles aſſerat, in iis ſcientiis, quæ habent principia, cauſas, & elementa, in his ſumendum eſſe initium à principiis, cauſis, & elementis? His adde, quod ſi ut præmium propoſitum recte agentibus conſideretur, quis tandem non concesſerit primum gradum, & ſupremum ei deberi. Quamobrem neminem exiſtimaturū puto felicitatem quoque, hac, atque illa ratione acceptam in conſtituenda morum philoſophia non obtinere abſolute primas partes. Hæc cum diligenter animadverteret Divus Thomas in ea theologiæ pertractatione, quæ e-*

*rat de vita, & morib⁹, ordinatiſſime auſpicatus eſt ab ipſo fine, & ab ipſa beatitudini. Hoc idem ad ejus imitationem accuratiſſime obſervavit Egidius Cardinalis doctiſſimus in ejus libro de regimine principum. Hoc ipſum ſtudioſiſſime cuſtodivit multo ante M. Tullius in conformanda univerſa philoſophia humana, & civili, dũ ejus legitimam pertractationem exorſus eſt à libris de finibus. Cujus rei quoq; rationẽ exponit, atque affirmat, conſtituto bonorũ fine in philoſophia, conſtituta eſſe omnia, & invẽtam jam eſſe viam ad reliquas omnes partes recte cõſtituendas, et ignorato fine, ignorari omnia, de quo, qui diſſentit, de tota philoſophiæ ratione diſſẽtire. Vnde in quarto de Finibus, & in ſecũdo Tuſculanarũ quæſtionũ appellat hunc finem bonorũ ſtirpem, & fundamentũ philoſophiæ. Neq; hoc ipſum ꝑtermiſit divinus Plato in libris de republica, in quibus initiũ ſumit ejus diſputationis à juſtitia, quã ſibi, ut propriũ finem ꝓponit omnis reſpublica, atq; omnis ejus recta inſtitutio, ita ut ſine diſcrimine poſſimus abſolute effari, in omni facultate activa, et civili quæ habet ali-*

*quem*

finem introducēdum,in ea ſemꝑ eſſe incipiendum ab ipſo fine, tanquam ab ejus principio: quemadmodum in artibus docendis inchoandum eſt ſemper à forma, tanquam pariter ab earum proprio principio, & à re, quæ prima ſeſe offert in intentione artificis. Sed illud jā videamus, an poſt felicitatem ipſa civitas aliam partem habere poſſit, quā ſecundam. Cum itaq; ea ſit, ut res ſubjecta, quæ recipiat felicitatē per optimam rempublicam, ejuſq; leges,tam publicas,quam familiares,illius certe pertractatio doctrinæ ordine jure optimo interponetur inter tractationem, quæ eſt de felicitate, & inter tractationem, quæ eſt de republica,& de legibus:propterea quod,ut civitas reſpicit felicitatē: ita reſpublica, & leges,præter felicitatē,reſpiciunt etiā civitatem:cū tanquā inſtrumēta, ejuſmodi eſſe debeāt,ut apte felicitatē inducere valeāt in civitatem, quod autē civitas ſola accōmodata ſit ad ſuſcipiendā convenienter felicitatē, hinc aperte ꝓbatur: Siquid ſuſcepturū eſt ſummū bonum, id ꝑfecto erit,aut homo ſolitarius,aut homo civilis.Sed homo ſolitari⁹ nō eſt apta materies ad capeſcēdā hujuſmodi formā:quoniā ille,vel ex Ariſto

*telis teſtimonio aut eſt deus, & non indiget hac ipſa felicitate humana, de qua loquimur, aut eſt tanquam bellua quædam, & animal ſilueſtre, quod nullo modo eſſe particeps felicitatis hujus civilis poteſt. Ex quo ait Ariſtoteles nono capite noni libri ethicorum abſurdũ eſſe, ut felicem ſolitarium faciamus: nemo enim inveniretur, qui omnia bona habere per ſe ipſum, ut ſolitarius, eligeret, quippe cum civile animal homo ſit. Hoc ergo unum reſtat, hominem civilem, ſeu ſocietatem ipſam civilem eſſe convenientiſſimam quaſi ſedem, ac domicilium felicitatis hujus civilis. Idem indicare videtur ipſemet philoſophus, dum teſtatur in principio politicorum, ſolam perfectiſſimam, & præſtantiſſimam ſocietatem, ſcilicet civilem, eſſe aptam ad ſuſcipiendum præſtantiſſimum, & perfectiſſimum bonorũ omnium finem. unde capite ſexto, & ſeptimo tertii libri politicorum concludit, finem civitatis eſſe non vivere, ſed bene vivere; hoc eſt felicem eſſe, atque hujus finis gratia conſtitutam. nam ſi eſſet tantummodo gratia vivendi, etiam aliorum animalium congregatio ci-*

*vitas*

vitas dici poſſet, quod quidem non eſt, ex eo: quia felicitatis non ſunt capacia, nec vivendi ſecundum electionem. Quod vero civitas ipſi reipublicæ hac in re ſit præferenda, ex utriuſque natura, & proprietate facile dijudicabitur. nam ſi altera eſt, ut materia, ſuſceptura felicitatem, altera ut inſtrumentum introducendæ felicitatis in civitatem, non poteſt ea, que eſt tanquam inſtrumentum non ſupponere ſtratam materiam, in qua ſuo munere fungatur, atque officio. Alia enim inſtrumenta nobis præparabimus, ſi voluerimus formare ſtatuam ceream; alia, ſi voluerimus formare ſtatuam ligneam, alia ſi voluerimus formare ſtatuam æream. Hoc idem de legibus affirmandum eſt, cum, & ipſæ præſidia, & adjumenta ſint provehendæ felicitatis in civitatem, hinc ait philoſophus in tertio capite ſeptimi libri politicorum, ſtudioſi legumlatoris eſſe conſiderare urbem, ac naturam hominum, & omnem aliam communionem vitæ laudabilis, quo participent, quantum fieri poteſt, felicitatem. utramq; rem propriis verbis, et authoritate cõprobat & in princi-

*pio tertii libri politicorũ, dum ait, ei qui de republica conſiderat, primã conſiderationẽ debere eſſe de civitate, civiliſq; viri, ac legumlatoris totũ negotium eſſe circa civitatẽ. Vnde in ſeptimo quoq; libro tractaturus de optima republica, ad perfectam ejus intelligentiã ante eſſe agẽdum de felicitate, atq; inde de ejuſdem reipublicæ civitate teſtatur. Sed inter rempublicam, et leges publicas minime dubiũ eſſe arbitror rempublicam tertium obtinere locũ: cum legislator non poſſit apte leges condere, niſi ante oculos ſibi proponat reipublicæ formam. aliæ enim leges ſtatuendæ ſunt in regno, aliæ in republica optimatum, aliæ in cõmuniter dicta republica, aliæ deniq; in optima, & perfectiſſima, quæ has omnes complectitur. ex quo prudentiſſime admonet Ariſtoteles capite primo quarti libri politicorum, leges accommodãdas eſſe ad rempublicam, non autem rempublicã, ad leges, & paulo poſt in eodem capite ſubjungit, neceſſarium eſſe differentias, & numerũ tenere ſingularum rerum publicarum etiam ad legũ poſitiones. neq; enim fieri poteſt, ut eædem leges utiles ſint paucorum potentiæ,*

*& po-*

& popularibus omnib⁹. Hinc capite undecimo primi libri rethoricorum ad leges ferendas neceſſarium eſſe ait ſcire, quæ ſint formæ rerumpublicarũ, & à quibus everti natura ſua queant. His adde, quod ubi ſunt inſtrumenta animata, quæ nos demonſtravimus eſſe ordinem magiſtratuum, et rempublicã; et inſtrumenta inanimata, quæ jam ꝓbavimus eſſe leges, non eſt dubiũ, in agendo priora eſſe animata inanimatis, ut docet Ariſtotoles primo libro politicorũ capite tertio, dum inquit: inſtrumentorum vero, quædam inanima ſunt; quædã animata. et miniſter omnis eſt, tanquã inſtrumentũ ante inanima inſtrumenta. nam ſi poſſent inſtrumenta inanimata ad juſſum, vel ad nutũ imperantis ſuũ opus conficere, neq; architecti miniſtris, neq; domini ſervis indigerent. Sed inter leges publicas, & familiares quartus locus dabitur legibus publicis, poſtremus legibus familiaribus: quia & ipſæ conſtituendæ ſunt ad formã legum publicarũ, ut ſignificat apertiſſimis verbis idẽ Ariſtoteles ultimo capite primi libri politicorũ. cum enim familia ſit pars civitatis, leges profecto familiæ debent conſtitui

*ad normam legum publicarum totius civitatis, ad quam & reſpublica, & leges ſimul reſpiciunt, tanquam ad materiam congruentẽ, in qua ſui muneris functionem exerceant. In hac parte non ſine ratione quidam ſtudioſe inquirunt: cum in libris politicorum, & œconomicorum, ut non obſcure probavimus, Ariſtoteles tractet de civitate, de republica, & de legibus, tam publicis, quam familiaribus, quid ſit, quare is in ultimo capite ultimi libri ethicorum, poſt pertractationem felicitatis propoſuerit ſibi agendum eſſe tantummodo de republica, & de legibus, nullumque faciat verbum de civitate, de qua tamen pertractat ſtatim poſt libros de moribus conjunctim in principio primi libri politicorum. Ad hanc quæſtionem reſpondendum putamus, ſub nomine reipublicæ contineri etiam civitatem: cum reſpublica eſſe non poſſit ſine civitate. nã ſi reſpublica nihil aliud eſt, niſi gubernatio civitatis, ut jam oſtendimus ex Ariſtotele, nulla ratione fieri poteſt, ut hujuſmodi gubernatio ſit, niſi etiam adſit & civitas, quæ à republica gubernetur. Quamobrem dum proponit*

nit philoſophus, ſe pertractaturum de republica, tacite ſignificat, ſe tractaturum pariter & de civitate. id ex nomine græco facilius etiam perſpicitur. nam politia, ſi verbum verbo reddere voluerimus, non indicat rempublicam, ſed formam, & gubernationem civitatis. Qui itaque pollicetur, ſe perſcripturum de politia, hoc eſt de forma, & gubernatione civitatis, ille profecto tacite pollicetur, ſe perſcripturum & de ipſa civitate. Hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam patet ex his, quæ attulit ultimo capite ultimi libri Ethicorum, cum inquit: Ergo hinc ſumentes initium dicamus: quaſi inferre voluerit, tractaturi de politia, hoc eſt de civitatis gubernatione, incipiamus ab ipſa civitate, tanquam à fundamento totius gubernationis. Ex quo ait & in principio tertii libri politicorũ, de politia recte quærere inſtituenti primam conſiderationem debere eſſe de civitate, ſub nomine itaque politiæ complectitur conjunctim ipſam civitatem, à qua, tanquam à principio, & fundamento conſtituendæ reipublicæ prudentiſſime diſputandi initium ſumit in primo libro politicorum ſta-

tim poſt propoſitionem à ſe ipſo allatam in ultimis verbis ultimi libri ethicorum. Sunt qui minime videntur ſequi hanc noſtram partiũ philoſophiæ humanæ conſtitutionem, dum arbitrantur, libros politicorũ, & œconomicorum, hoc eſt civitatẽ, rempublicam, & leges tã publicas, quam familiares præponendas eſſe decẽ libris ethicorum, hoc eſt ei tractationi, quam diximus eſſe de felicitate, contra quos apertiſſime reclamant & rationes à nobis jam adductæ, & Ariſtoteles ipſe pluribus in locis. Nam cum in libris ethicorum agat de fine rerum agendarum, & in libris politicorum, & œconomicorũ; de civitate, quæ hunc ipſum finem eſſet ſuſceptura; de republica, & de legibus, tã publicis, quam familiaribus, per quas tanquã per inſtrumenta animata, & inanimata hujuſmodi finis introducatur in civitatem, & in familias, quis unquã contẽdet inter has omnes philoſophiæ hujus partes, primũ locum non eſſe attribuendũ felicitati, & iis libris, qui agũt de felicitate? Quis eſt, qui ultima verba ultimi libri ethicorũ, & prima verba primi libri politicorũ leviter percurrerit, qui poſſit ambigere.

qua

qua ſerie, et cõtinuatione hos omnes libros inter ſe diſpoſuerit Ariſtoteles? Nonne in proœmio eorũ librorũ, qui Ethica Nicomachia inſcribuntur, ꝓpoſuit in ſequentibus libris, ſe eſſe ꝑtractaturũ de republica, & de legumlatione eo ordine, quem ad unguẽ in politicis cuſtodivit? Nonne in principio politicorum conjunxit ꝑtractationẽ felicitatis cum pertractatione civitatis? hoc eſt ethica cum politicis? Nonne ubi tractat de republica, & de legibus ſemper monet præcognoſcendam eſſe felicitatem, atq; hunc finem bonorũ? Quid eſt igitur, quod de ſerie & de ordine horum librorum ſententiam Ariſtotelis in dubium vocare poſſit? Quidam etiam putant libros ethicorũ eſſe primos, œconomicorum ſecundos, tertios politicorum; atque hujus à ſe cogitati ordinis addunt rationẽ, difficile admodum eſſe familiam regere, antequã nos ipſos; & multo difficilius civitatem, antequam non ignoremus & nos ipſos, & familiam regere, & gubernare, quorũ pluribus jã annis exploſa ſententia eſt. multo enim difficilius eſſe nos ipſos, & familiã recte gubernare, priusquã formam civitatis, & leges, atque

*communem inſtitutionem præceperimus cum Ariſtotele ipſo aſſerere poſſumus. Nam ſi quiſque noſtrũ, ſi familia eſt pars civitatis, nonne ad partem informandam neceſſe eſt reſpicere ad formam regendæ civitatis, quæ eſt quid totum & familiis, & cuique noſtrum? id ipſum philoſophus apertiſſimè atteſtatur ultimo capite primi libri politicorum, ut ſupra etiam nõ obſcure oſtendimus. Hinc idem præcipit & in nono capite quinti libri Politicorum, filios convenienter erudiendos eſſe ad ejus reipublicæ diſciplinam, in qua fuerint; ſi in populari populariter; ſi in paucorum ſtatu, quemadmodum in eo convenit. unde reprehendit eos, qui in ſtatu oligarchiæ delitiis intendunt, & in ſtatu populari in gymnaſiis, laboribuſq; ſe exercent. Quod autem œconomica politicis poſtpoſuerit, ipſemet indicat, cũ pollicetur in decimo capite ſeptimi libri politicorum, quemadmodum ſervis utendum ſit, & quare melius eſt omnibus ſervis præmium libertatis eſſe propoſitum, poſtea pertractaturum, quid præſtat non in proximis capitibus ſeptimi libri, neque in toto octavo politicorum, ſed in quinto capite primi libri œconomicorũ.*

*Fallax igitur, atq; inanis eſt eorum opinio, qui falſo credunt œconomica ex Ariſtotelis ſententia anteponenda eſſe politicis & poſt decem libros ethicorum collocanda. Sed cum jam ſine ulla amplius dubitatione conſtet, felicitatem, civitatem, rempublicam, leges publicas, & familiares, ut principes partes figurare, atq; integrare hujus humanæ, & civilis philoſophiæ formam, neque alium ſingulas potuiſſe convenienter locum habere, quam illum, quẽ iis ex docendi ratione tribuit Ariſtoteles: ſequitur, ut id etiam demonſtremus in ſecundariis partibus ejus tractationis, quæ erat de felicitate; & ejus, quæ erat de civitate; & ejus, quæ erat de republica; & ejus, quæ erat de legibus publicis, & familiaribus. Quamobrem ut primum à primis ordiamur: cum philoſophus diffinierit, felicitatem eſſe animæ actionem ſecundum virtutem, & ex pluribus virtutibus ſecundum optimam & perfectiſſimam, & inſuper etiam in vita perfecta, animadverteritque præter ea, quæ aperte expreſſa ſunt in hac ipſa diffinitione, ſubintelligi etiam tacite bona externa corporis, atque for-*

*tunæ, & præcipuè amicitiam, ac demum etiam voluptatem, quod ſine his nulla poteſt eſſe perfecta muneris functio ex virtute in vita perfecta, hæ ſine dubio erunt partes ſecundariæ hujus primæ pertractationis, diviſio ſcilicet animæ rationem habentis; in eam, quæ per ſe utitur ratione, atq; intelligit; et in eam, quæ obtēperat rationi, cum jam ſtatuerit felicitatem eſſe non corporis, ſed animæ actionem; & virtutes ipſæ, quæ oriuntur & ex parte animæ per ſe rationem habentis, & ex parte animæ, quæ ſit hujuſmodi, rationi parendo, cum felicitatem dixerit eſſe non ſolum actionem animæ, ſed etiam actionem animæ ſecundū virtutem. His ex vi diffinitionis, & ex Ariſtotelis animadverſione adde amicitiā, tanquam inſtrumentum; & voluptatem, tanquam comitem felicitatis. poſt diffinitionem igitur felicitatis, et ejus declarationē, ac confirmationem, in prima parte hujus ꝑtractationis, quæ erat de felicitate, ex progreſſione diffinitionis collocāda eſſe videtur animæ diviſio, inde virtutum ipſarum partitio, quæ ex diviſione animæ derivatur. neque enim dividi poſſent vir-*

*tutes;*

tutes; in eas, quæ ꝓficiſcuntur ex parte animæ per ſe rationẽ habentis, quæ etiã dicuntur intellectivæ & in eas, quæ proficiſcũtur ex parte animæ rationi obtẽperantis, quæ morales appellãtur. Si itaque virtutũ diviſio pendet ab animæ rationẽ habentis diviſione, nullo modo virtutes præferri apte poterant animæ diviſioni. Hanc eandem progrediendi viam ſequitur Ariſtoteles in principio ſexti libri ethicorum, in quo deducit ſubdiviſionem virtutum intellectivarum à ſubdiviſione animæ per ſe rationem habentis, quod quidẽ tam diligenter ſapientiſſimus philoſophus ſemel, atq; iterum minime præſtitiſſet, niſi prævidiſſet earum partitionem commode haberi non poſſe ſine ejuſdẽ animæ rationem habentis in ſuas partes antecedenti diſtributione. Satis aperte igitur à nobis probatum videtur, virtutũ pertractationem neceſſario ſequi poſt pertractationem animæ, neq; has duas res aliter potuiſſe accommodari, nec ſecundum earum naturam, nec ſecundum docendi rationem. Ariſtoteles autem hac in parte diviſit tantummodo animam, neq; diffinivit: quoniã ad eruendam virtutũ

*diſtributionem, nil aliud perquirendum exiſtimavit, quod eſſet neceſſarium ad libros de moribus recte conſtituendos, ex ea, quæ eſt de anima pertractatione, quã hanc perbrevem, atq; imperfectam partitionem, quam in magnis moralibus Platoni attribuit, & in tertio de anima arguit, atq; reprehendit. Vnde ait, in quinto capite primi libri eorundem magnorum moralium, ad derivandas virtutes ſolũ dividendam eſſe animam, non autem diffiniendam: quia id ſit alterius ſpeculationis, & in ultimo capite primi libri ethicorum præter ejus diviſionem vetat ulterius progrediẽdum, & exactius de ea pertractandũ: quia transgrederemur à genere philoſophiæ hujus humanæ, & civilis ad genus illud philoſophiæ naturalis, quæ eſt de anima, redderemuſque hanc partem multo difficiliorem; quam, aut auditor, aut hujus doctrinæ ratio poſtulabat. Verum poſſet aliquis fortaſſe admirari, & cauſam etiam inquirere, ob quam Ariſtoteles poſt animæ diviſionem, & ante virtutum moralium pertractationem, nullam adhibuerit diſputationem de animi perturbationibus, cum*

in iis præſertim moderandis, & temperandis, tanquã in propria materia virtutes ipſæ verſari debeant. Triplici itaq; ratione, niſi fallor, de animæ commotionibus diſſerere poſſumus; vel, ut pertinent ad eam philoſophiã, quæ eſt de anima; vel, ut pertinent ad eam quoque dialectices partem, quæ eſt de arte dicendi; vel, ut pertinent ad hanc ipſam diſciplinam, quæ eſt de vita, & moribus. Ea de affectibus diſputatio, quæ ſpectat ad librum de anima, ſine ulla dubitatione non debet permiſceri cũ hac ipſa philoſophia humana, & civili: quoniam hoc eſſet tranſgredi ejus terminos, altera de iisdem perturbationibus diſceptatio, quæ propria eſt rethorices, propter eandem rationẽ non videtur conjũgenda cum hac ipſa philoſophia, neque enim ea requirit hujuſmodi affectuum cognitionem ad permovẽdos civiũ animos, ſed tantummodo ad moderandos qua quidem in re nulla alia notitia eget, præter eam, quam communiter habent omnes, hoc eſt ut non ignorent, iram eſſe vindictæ cupiditatem, metum imminẽtis mali expectationem, & reliqua ejuſdem generis, quæ profecto non

videntur requirere copioſiorem, & exactiorem tractationem. nulla igitur alia cognitio in hac ipſa philoſophiæ parte ad coercendos civium affectus neceſſaria eſt quam hæc levis, quæ nomen cujuſq; affectus afferat, cũ omnibus ſint vel maxime cogniti. Quæ vero ex virtutibus, ut ad id, unde digreſſa eſt, noſtra revertatur oratio, antecedere debeant, quæ poſtremo adhiberi, quæ in mediũ agmen conjici, ã morales, an intellectivæ, an ſemivirtutes, an virtutes heroicæ, proxime quærendũ videtur. Cujus quidem rei facilis eſt, atque expedita conſideratio. nam cum primum poſt ortum noſtri ad moderandam partem animæ appetentem indigeamus virtutum moralium temperatione, atq; inde multo poſt requiramus ꝑfectionem animæ intelligentis, neminem dubitaturum arbitror, inter virtutes primum locum origine & docendi ratione tribuendũ eſſe virtutibus moralibus, ſecundũ intellectivis, ꝑter quam quod virtutes morales aditum nobis patefaciant ad cõſequendas facilius virtutes intellectivas, cũ, niſi ꝑfecte per virtutes ipſas morales animi motus, & cupiditates compeſcu-

peſcuerimus, et ꝑdomuerimꝰ, nunquã apti ef-
ficiamur ad virtutes mentis adipiſcendas. His
adde, quod cũ prudentia ea ſit recta ratio, qua
ſingulis morũ virtutibus mediocritatẽ præſcri
bat ſecundũ circumſtantias recte agendi, non
erit dubium, eam ſupponere cognitionem vir-
tutum moraliũ, ſi cuiq; imponere debeat mo-
dũ, et temperamentũ actionum humanarũ ſe
cundum hujus, atq; illius naturã, & conditio-
nem. Hos omnes virtutũ habitus, tam mora-
liũ, quam intellectivarũ commode ſubſequẽ-
tur ſemivirtutes, hoc eſt continentia, & tolerã
tia. Eæ mihi videntur, neq; ut ſemivirtutes,
neq; ut diſpoſitiones virtutũ dignitate, & do-
ctrinæ ordine præponi debere ipſis virtutibus.
Nam ut ſemivirtutes ſupponũt cognitionem
integrarum virtutum: quemadmodum me-
dium ſupponit cognitionem totius. Ut diſpoſi-
tiones pariter nõ ſunt præferendæ perfectis vir
tutum habitibus. eam enim rationem, quam
habent virtutes ad felicitatem, hoc eſt habitus
ad actionem, eam ipſam habent & diſpoſitio-
nes virtutum ad ipſas virtutes. ita fit, ut ſicuti
felicitas ſtatuitur proximus finis virtutibꝰ: ita

*virtus ſtatuitur proximus finis virtutum diſpoſitionibus; & quẽadmodum virtutes ſunt diſpoſitiones ad felicitatem: pari ratione continentia, & tolerantia fiunt diſpoſitiones ipſis virtutibus. ſed ut virtutum pertractatio poſtponitur felicitatis pertractationi: ita jure optimo pertractatio continẽtiæ, & tolerantiæ poſtponitur virtutum pertractationi, cum finis ex ſui præſtantia, & cognitione prior eſſe debeat his, quæ ordinantur ad finem. quicquid dixi, de docendi, non de naturæ ordine dictum velim: cum Ariſtoteles apertiſſime in univerſa hac philoſophia cõſtituenda doctrinæ ordinem ſecutus fuerit, non naturæ. quare etſi tueor Ariſtotelis ordinem, aliorum tamen ordinem non reprehendo. Hac in parte inveſtiganda quoque ratio eſſe videtur, quid ſit, quare Ariſtoteles non tractaverit de continentia, & tolerantia ſtatim poſt virtutes morales: cũ earum fortaſſe diſpoſitiones potius exiſtimari debeant, quam virtutum intellectivarũ. Ad hanc quæſtionem triplex, meo quidem judicio, reſponſio afferri poteſt: vel, quia prius tractandum erat de toto virtutum genere, quam*

*de diſpoſitionibus ad virtutem, quæ ſunt alterius generis, ut indicat Ariſtoteles in primis verbis ſeptimi libri ethicorum; vel, quia continentia & tolerantia non modo ſunt diſpoſitiones virtutum moralium, verum etiam intellectivarum. nam niſi quis ſit continens voluptatum, & tolerans laborum, & dolorum, non poterit acquirere prudentiam, & virtutes intellectivas. unde idem ait in ſexto ethicorum capite quinto, voluptatem, & dolorem corrumpere prudentiam, & mentem, ita ut poſſit recte cognoſcere principia rerum agendarum; vel quoniam ad perfectam cognitionem continentiæ, & tolerantiæ, ut apparet ex primis decem capitibus ſeptimi libri ethicorũ, requirebatur conſideratio prudentiæ, ſcientiæ, opinionis, ſolertiæ, quæ ſunt, aut virtutes intellectivæ, aut partes, & adjutrices virtutum intellectivarum, de quibus erat prius doctrinæ ordine pertractandum. Neque obſcurum eſt virtutem heroicam, quæ eſt virtus ſupra humanam virtutem, fortitudo ſupra humanam fortitudinem, temperantia ſupra humanam temperantiam, juſtitia ſupra humanam*

juſtitiam, prudentia ſupra humanam prudẽtiam ſupponere cognitionem humanarũ virtutum, humanæ fortitudinis, humanæ temperantiæ, humanæ juſtitiæ, humanæ prudẽtiæ, ejusq; tractationem ſequi poſt tractationẽ tam univerſalem, quam particularem virtutum omnium humanarum, connexamque eſſe oportere cũ ſemivirtutibus, hoc eſt cũ continentia, & tolerantia, ut eam ſapientiſſime conjũgit Ariſtoteles in principio ſeptimi libri ethicorum. etenim cum ipſe egiſſet in ſecundo, tertio, quarto, quinto, & ſexto de omnibus humanis virtutibus; tum intellectivis; tum moralibus; & de his; tum, generatim de omnibus; tum, particulatim de unaquaq;, in ſeptimo tandem conjunctim pertractat & de continentia, et tolerantia, quæ ſunt virtutes infra virtutem humanã, et de virtute heroica, quæ eſt virtus ſupra virtutẽ humanam. quia videtur habere inter ſe relationem quandã. unde in ea ſerie debent collocari, ut etiam earũ unaquaq;: quemadmodũ fert natura relativorum: facilius intelligeretur. Hoc igitur fuit Ariſtotelis conſilium, has duas res ſimul conjungere:

jungere: quoniam eſſent inter ſe connexæ tractatione. Hic agnoſco errorẽ meum, neq; diſſimulo, quod in libro de republica, quem italico ſermone conſcripſi, præpoſuerim continẽtiæ, & virtutis heroicæ tractationẽ virtutibus intellectivis, dũ demens credidi, temere Ariſtotelis seriẽ involuens, hæc in meliorem ordinem immutaſſe. Quamobrem ex Ariſtotelis ſententia virtus heroica in libris de moribus aut nullũ habet locum: propterea quod potius virtus deorum, quam hominum eſt exiſtimanda, aut ſi habet locum, conjunctum habere debebit cũ continentia, & tolerantia. De his itaque ſingulis, & de virtutibus moralibus, & de virtutibus intellectivis, & de ſemivirtutibus, & de virtute heroica tractat, ut de partibus diffinitionis, quam attribuit felicitati, quæ quidẽ diffinitio, ut principium, niſi præceſſiſſet, nullus daretur de his omnibus diſputandi locus. neque ulla ratione fieri videtur, ut hujuſmodi virtutes docendi ratione non præcedat felicitas. Nam cum virtus moralis diffiniatur habitus electivus non poteſt non habere propoſitum ipſum finem, & ipſam felicitatem.

*electio enim, quæ, adhibetur in diffinitione virtutis, eſt ſemper de his, quæ tendunt ad finem, ut atteſtatur Ariſtoteles libro tertio ethicorū capite ſecundo. Quare aut virtus moralis nō erat diffinienda habitus electivus, aut ſi diffiniatur habitus electivus neceſſe eſt, ut præcognoſcat finem bonorum, & felicitatem, ad quam conſequendam dirigitur omnis electio virtutis, & ipſa virtus moralis, quatenus habitus electivus. Hoc idem de virtutibus quoque intellectivis, & præſertim de prudentia dici poteſt, quàm Ariſtoteles appellat capite nono, & decimo ſexti libri ethicorum boni finis præceptricem, & cognoſcitricem. Hoc ipſum pariter & de ſemivirtutibus judicandum eſt: cum & ipſæ non ſint ſine electione, ut aſſerit idem philoſophus capite ſecundo libri tertii ethicorum. Sed poſteaquā breviter egimus de ordine, quem tenent inter ſe & virtutes morales, & virtutes intellectivæ, & ſemivirtutes, & virtùtes heroicæ, hic locus hortatur, ut ſeparatim etiam de virtutū moralium, atque inde de intellectivarum quoque ſerie, & continuatione, quam ſervat adinuicem*

*cem, una cum altera, differamus. Ariſtoteles igitur hac progreſſione virtutes morales recenſuit capite ſeptimo ſecundi libri ethicorum, ut primo loco poneret fortitudinem, & temperantiam, ſecundo liberalitatem, et magnificentiam, tertio magnanimitatem, modeſtiã. & manſuetudinem, quarto affabilitatem, veracitatem, & urbanitatem, quinto verecũdiam, et indignationem, ſexto juſtitiam. perſcrutandum itaque eſt, quam affinitatem habeat una cum altera, & cur hujusmodi ſerie eas copulaverit philoſophus: non enim caſu, ſed ſapientiſſimo conſilio hac diſtinctione ab eo enumeratas putare debemus. Quamobrem non ignorandum eſt, quas eſſe animæ ſenſitivæ appetentis, rationique obtemperantis partes; alteram iraſcibilem, quam magis conſequitur dolor; alteram concupiſcibilem, quã magis conſequitur voluptas. In hac, ut diſpoſitionem ad habitum virtutis adipiſcendum, Ariſtoteles ſtatuit continentiam, in illa autẽ tolerantiam. Rectiſſimo igitur ordine primas, tanquam in acie diſpoſuit fortitudinẽ, & temperantiam, ut duces, atque ſigniferos cæte-*

*terarum virtutum, quarum prior perficeret iraſcibilem animæ appetentis partem, reſiſteretq; ſummo, atq; ſupremo dolori, qui ex morte ipſa proficiſcitur, cujus diſpoſitio appellatur tolerantia; poſterior vero perficeret concupiſcibilem animæ appetentis partem, reſiſteretque ſummæ tactus voluptati, ventri ſcilicet, atq; libidini, cujus diſpoſitio appellatur continentia. Has duas principes virtutes, & maxime arduas ſequitur primo liberalitas, & magnificentia, minus difficiles: deinde magnanimitas, et modeſtia: tum ipſa etiã manſuetudo. liberalitas, et magnificentia cõprimunt pecuniarũ aviditatem, tum in ſummis expenſis, tũ etiã in parvis, & mediocribus. jure igitur accedunt poſt virtutem temperantiæ, quam dicebamus cohibere voluptates, quæ ex ſenſu tactus percipiuntur. poſt liberalitatem, & magnificentiã accedet modeſtia, et magnanimitas, quæ modũ adhibent ſummorũ, et mediocriũ honorum nimis magnæ cupiditati. Vt enim avaritiæ comes eſt ambitio: ita pariter hæ virtutes, quæ regunt ambitionem, debent cum his virtutib⁹ conjungi, quæ certa ratione avaritiæ*

ritiæ dominantur. Et quoniã ad quos ſpectant honores, ad eoſdem, ut ita dicam, videntur ſpectare et inhonorationes, quæ ex cõtemptu oriuntur: iccirco magnanimitati, et modeſtiæ adhæret manſuetudo, quæ coercet libidinem iracundiæ. Harum omnium virtutum naturas admodũ ſimiles, & affines ſimul digito quaſi indicat Ariſtoteles, dum in ſeptimo libro capite quarto de incontinentia diſſereret: Hos ergo, inquit, qui in his pariter peccant præter rectã rationẽ, quæ in ipſis eſt, ſimpliciter quidẽ incõtinentes non dicimus, ſed addimus pecuniarũ, lucri, honoris, iræ. Quare ſi datur incontinentia ſimplex, & incõtinentia pecuniarũ, lucri, honoris, iræ, dabitur etiam harũ omnium rerum continentia quædã. ſi datur continentia ſimplex, et cõtinentia pecuniarũ, lucri, honoris, iræ, quæ eſt diſpoſitio ad virtutes; dabuntur et virutes, quæ poſt hujuſmodi cõtinentiã perfecto quodam modo harum rerum cupiditatibus moderentur. ad continentiam ſimplicem itaq; referri poſſe videtur temperantia ad cõtinentiã pecuniarũ, & lucri, refertur liberalitas, et magnificentia, et; ad continentiã honorũ

*referτur magnanimitas, & modeſtia; ad cõtinentiam iræ refertur manſuetudo. Quamobrem hæc tota harum virtutum continuatio pendet ex continentiæ diviſione. ea enim; aut eſt ſimpliciter dicta continentia, quæ ſit diſpoſitio tãtummodo temperantiæ; aut eſt continẽtia cum additione. Hujus continentiæ cum additione; prima eſt continentia lucri, & pecuniarum, quæ ſit diſpoſitio liberalitatis, & magnificentiæ. Secunda eſt continentia honoris, quæ ſit diſpoſitio magnanimitatis, & modeſtiæ. Tertia eſt continentia iræ, quæ ſit diſpoſitio manſuetudinis. Hinc ſequitur, ut liberalitas, & magnificentia conjungantur cum temperantia: magnanimitas, & modeſtia conjungantur cum liberalitate, & magnificentia; manſuetudo conjũgatur cum modeſtia, & magnanimitate. Harum virtutum vitia contraria hoc eodem ordine complectitur divus Paulus per concupiſcentiam carnis, per concupiſcentiam oculorum, & per ſuperbiam vitæ. nam per concupiſcentiam carnis intelligit intemperantiam ꝑ concupiſcentiam oculorum intelligi avaritiã: oculi enim ſunt, ut inquit ille, per quos paupertatem ferre non*

*poſſumus, per ſuperbiam vitæ intelligit ambitionem. Reliquæ autem virtutes, quæ verſantur in moderandis noſtris ſermonibus; affabilitas in reprehenſionibus, & obſequiis inter amicos; veracitas in arrogantia, & diſſimulatione; urbanitas in ruſticitate, ſunt potius quædam virtutum ornamenta, quã ipſæ virtutes, ſi conferantur cum ſuperioribus. Unde in libello de virtutibus, & in rethoricis ab Ariſtotele non enumerantur inter virtutes, quæ in laudando amplificationem poſſunt ſuſcipere, atque ideo poſt veras virtutes eas philoſophus, ut minus Illuſtres in poſteriorem partem collocavit. Cum his conjungũtur quidã potius affectus laudabiles, quam virtutum habitus, cum proveniant ex quodam impetu ſine electione, quemadmodum exiſtimatur verecundia, & indignatio. poſtremo ſequitur perfectiſſima virtutum omnium juſtitia, tum legalis, & univerſalis, tum etiam particularis, diſtributiva, ſcilicet, & commutativa. Quis eſt igitur, qui ſole ipſo clarius non perſpiciat, hanc prudentiſſimam harum omniũ virtutum moralium connexionem, ab Ari-*

ſtotele ſapientiſſime excogitatam? Hinc oriri poteſt earundem ex ipſarum natura non incõgruens diſtributio, ut dicamus; alias eſſe, quæ continentur; alias eſſe, quæ continent, ut eſt juſtitia, ad quã, ut ad earũ genus reliquæ omnes, tanquam ſpecies rediguntur. Vnde etſi eæ dicantur, dum cum continentia, & tolerantia conferuntur, eſſe perfecti virtutum habitus, juſtitia tamen ipſa, quæ omnẽ nanciſcitur probitatẽ, inter reliquas virtutes morales videtur eſſe optima, et perfectiſſima, et ſimpliciter pfecta virtus, ut eam etiã ornat hoc nomine Ariſtoteles in quinto libro ethicorum. Sed earum virtutum, quæ ſub juſtitia continentur; aliæ ſunt vere habitus; aliæ ſunt affectus potius quidem laudabiles, quam habitus, ut eſt verecũdia, & indignatio, quemadmodum affirmat Ariſtoteles, quando inquit in quinto capite quarti libri ethicorũ: ſunt quoq; in affectibus, & in iis, quæ circa affectus ſunt mediocritates quædam. Verecundia enim virtus quidem nõ eſt, ſed laudatur tamen, & capite ultimo ejuſdem quarti libri, cum ſubjungit: De verecundia autem, quaſi de virtute aliqua dicendum

dũ non. eſt affectus enim magis eſſe videtur, quam habitus, quippe quæ timor quidam infamiæ diffiniatur. indignatio quoque ipſa in ſecundo libro rhetoricorũ inter affectus enumeratur ab Ariſtotele, & diffinitur. Apparet igitur has virtutes, quæ ſub juſtitia comprehẽduntur; alias eſſe vere habitus; alias eſſe non habitus, ſed affectus. Earum vero virtutũ, quæ ſunt ut habitus cum electione; aliæ ſunt, ut virtutes; aliæ ſunt, ut virtutũ ornamenta, ut eſt affabilitas, veracitas, & urbanitas, quas qui nõ poſſident minime vitioſi putantnr. qui enim ſe ipſos jactant, qui urbani non ſunt, qui non ſunt affabiles, nõ judicantur eſſe improbi, & flagitioſi, ut oſtendere videtur Ariſtoteles ſeptimo capite quarti libri ethicorum, ubi ait: arrogantes eſſe vanos, non malos; & diſſimulatores eſſe elegãtes, et his ſimilia. Eas vero virtutes, quæ veræ virtutes ſunt, qui non poſſident, in vitioſorũ numero habentur, ut ſunt intẽperantes, avari, ambitioſi, iracũdi. Atq; ideo his, quæ ſunt veræ virtutes, tribuit Ariſtoteles diſpoſitiones, continentiã, & tolerantiã, reliquis autem, qnas diximus eſſe ornamẽta virtutũ.

*non videtur aperte adjungere diſpoſitiones hujuſmodi, quaſi iis minime indigeant, cum non verſentur in rebus tam arduis, & in rebus tã magni ponderis, & momenti, nam ſignificavit tantummodo continentes dici pecuniarum, lucri, honoris, iræ. Verarum autem virtutum; aliæ ſunt, ut duces reliquarum virtutum, ut eſt fortitudo, & temperantia; quæ inter virtutes cardinales enumerantur; aliæ autem ſunt, tanquam milites, quæ ſigna harum principum virtutum ſequantur, quarũ deinde; aliæ moderantur deſiderio lucri, & pecuniarum in ſummis, & mediocribus expenſis, ut eſt liberalitas, & magnificentia; aliæ temperant deſiderium, tum ſummorum honorum, tum etiam mediocrium, ut eſt magnanimitas, & modeſtia, Tertia cohibet deſiderium vindictæ, quod in contemptu, & in inhonorationem maxime cernitur. Ex his, quæ diximus, colligitur quoque ordo harum virtutum pertractandarum, ut natura ſingularum poſtulat. prius enim doctrinæ ordine erant tradendæ virtutes, quæ comprehenduntur ſub ipſa juſtitia, quam ipſa juſtitia virtus perfe-*

*perfectiſſima, quæ eas in ſe omnes continebat. neque enim poterat intelligi ejus abſoluta vis, atque perfectio, niſi præceſſiſſet earum virtutum cognitio, quas ea, ut minus perfectas complectebatur. poſſumus etiam dicere philoſophũ ideo poſtpoſuiſſe juſtitiæ tractationem cæteris virtutibus: quod reſpexerit ad propriam diffinitionem felicitatis, in qua ultimum locum reſervavit ꝑfectæ virtuti, hoc eſt juſtitiæ, quãdo dixit, felicitatẽ eſſe animæ actionem ſecundum virtutem, & ex pluribus virtutibus ſecundum optimam, & perfectiſſimam. oportebat itaque ex vi, & progreſſione, à ſe traditæ diffinitionis, ut in ultimum locum referret virtutem perfectiſſimam, ex cujus actione potiſſimum oriebatur ipſa felicitas. Ex mediocritatibus autem, quarum aliæ erant virtutũ habitus, aliæ erant potius affectus quidã laudabiles, quam virtutum habitus, prius erat agendum de virtutũ habitibus; quam de his, quæ erant affectus laudabiles. Earum autem virtutum, quarum aliæ ſunt, ut virtutes, aliæ ſunt, ut ornamenta virtutum, non eſt dubium & dignitate, & docendi ratione illas præponi,*

*quæ ſunt veræ virtutes: quia ſunt veluti ſubſtantia ad reliquarum virtutũ differentiam, quæ ſunt tanquam acceſſiones quædam ad veras virtutes. Antea igitur diſputandum erat de fortitudine, de temperantia, de liberalitate de magnificentia, de magnitudine animi, de manſuetudine, quã de affabilitate, de veracitate, de urbanitate. De virtutibus vero, quæ ſunt, non ornamenta virtutum, ſed veræ virtutes, prius agendum erat de his, quæ erant tanquam duces, & ſigniferi, quam de his, quæ, ut milites harum quaſi ſigna, & vexilla ſequebantur, hoc eſt prius de fortitudine, & de tẽperantia, quas diximus eſſe virtutes cardinales, quam de liberalitate, magnificentia, magnanimitate, modeſtia, & manſuetudine. Cæterum in hac virtutum moralium continuatione, & ordine oritur non levis dubitatio. nã cum in cõtinuanda virtute temperantiæ cum fortitudine dixerit philoſophus, ſe poſt fortitudinem tractaturum de temperantia: quia utraque erat earum partium animæ, quæ eſſent rationis expertes, ex his verbis, & ex adducta ratione videbatur etiam ſequi, ut poſt temperantiam*

rantiam ageret de manſuetudine, quæ iracũdiam coercet, ut etiam ſervavit in libris magnorum moralium & in libello de virtute: quoniã ea pariter eſſet in parte animæ rationis experte, non autem de liberalitate, de magnificentia, de modeſtia, quæ non moderantur his animæ perturbationibus quæ ſunt belluinæ, & omnino rationis expertes. Ad hanc dubitationem dicẽdum videtur, iram, ut vindictæ cupiditatem propter contumeliam, non eſſe referendam ſimpliciter ad partem animæ, quæ penitus ratione careret: quemadmodum exiſtimatur timor mortis, & cupiditas voluptatũ gulæ, atq; libidinis, quæ quidẽ inſunt etiam animantibus ſine ratione degentibus. Quoniã etſi ita eſt in cæteris animalibus non tamen ineſt propter contumeliã, ſed propter corporis offenſionẽ, ira autẽ, quæ eſt in homine diffinitur ab Ariſtotele appetitio cum dolore in ſpeciem ejus ulciſcendi, qui parvi facere videatur ſe ipſum, aut ſuorũ aliquẽ non convenienter, hoc vero nõ fit ſine ratione, & non poteſt cadere in ea animalia, qua nullã habent rationẽ. nam, ut inquit Ariſtoteles libro ſeptimo capite ſex

*to, ira audire quidem videtur rationem in aliquo, non tamen attente audire. Manſuetudo igitur, quæ hujuſmodi iracundiæ libidinē moderatur, non videtur eſſe in parte animæ experte omnino rationis. Ergo neque dicendū eſt, poſt diſputationem fortitudinis, & temperantiæ ſequi eam pertractationem, quæ erat de virtute ipſa manſuetudinis. Nam Ariſtoteles intelligit expertem animæ rationis partē, non quatenus appetitiva eſt, ſed quatenus appetitiva homini omnino communis cum cæteris animantibus. Iccirco libro tertio dixit idemmet philoſophus, voluptates, quibus temperantia moderatur, eſſe belluinas: quia earū participes ſunt & reliquæ animantes. ex quo hujuſmodi voluptates affirmat nobis ineſſe, nō quatenus homines ſumus, ſed quatenus animalia. ira autem, ut eam diffinivimus ex Ariſtotele, ineſt nobis, non quatenus ſumus animalia, ſed quatenus homines: ita pariter cupiditas pecuniarum, & honorum, non ineſt nobis, quatenus animalia ſumus, ſed quatenus homines: Quare ira, hac ratione accepta non erit inter expertes omnino rationis animæ*

*partes*

*partes referenda. Merito itaque, & jure optimo Ariſtoteles disjungit manſuetudinem, iracundiæ moderatricem à fortitudine, & à temperantia, atque eam conjungit cum modeſtia, & magnanimitate. quia ii, qui honores expetunt, iidem & contumelias, & inhonorationes ulciſci ſolent, quibus qui moderantur manſuetudinis habitum conſequ͞ntur. eſt enim cõtemptus, propter quem ira commovetur, inhonoratio quædam. Ad quos igitur ſpectant honores, ad eoſdem ſpectat etiam moderari iracundiam, quæ ex contemptu ipſo maxime naſcitur. Quamobrem prudẽter ipſam manſuetudinem Ariſtoteles collocat poſt magnanimitatem, & modeſtiam, atque emendat, & corrigit virtutum ſeriem, & continuationẽ, qua antea uſus fuerat in magnis moralibus, & in libello de virtute. Hinc licet videre, virtutes, quæ in honoribus, tam parvis, quam ſummis, & in inhonoratione verſantur, & præterea liberalitatem, & magnificentiam ſecundum Ariſtotelem eſſe magis in parte animæ appetentis concupiſcibili, quam in iraſcibili reponendas. Nam ſi continentia eſt in par-*

*te animæ concupiſcibili, atq; hæc ſtatuitur diſpoſitio, non ſolum temperantiæ, ſed liberalitatis, & magnificentiæ, & magnanimitatis, & modeſtiæ, & manſuetudinis, ut jam ex Ariſtotele animadvertimus, conſequi videtur, hos omnes harum virtutum perfectos habitus referri magis ad eam animæ partem, ad quam etiã refertur ab eodem Ariſtotele earũ omniũ communis diſpoſitio. Ab hac noſtra opinione ii videntur diſſentire, qui honorum ſtudium, & magnanimitatem referunt potius ad animæ appetentis facultatem iraſcibilem, quorũ ſententiæ ſatis aperte, ut ego exiſtimo, adverſari videntur verba Ariſtotelis, quibus utranque hanc virtutẽ deſcribit capite ſeptimo ſecũdi libri ethicorum, cum ait. Fit enim, ut ſicut oportet, honor appetatur, & magis etiã, vel minus, quã oportet. Vnde qui in appetitione hac excedit, ambitioſus, qui deficit inambitioſus dicitur, medius nomine vacat, & in quarto capite quarti libri: Quemadmodum autẽ, inquit, in datione, & acceptione pecuniarũ mediocritas eſt: ita quoq; in honorũ appetitione licet, et magis quã oportet, et minus, et unde oportet,*

*portet, & ut oportet ſe unũquenq; gerere, & paulo poſt in eodẽ capite: Appetunt autem honores, ait, et magis, et minus, ergo etiã, ut oportet, unde et in tertio capite quarti libri, & in quarto de modeſto, & de magnanimo verba faciens ait utrunq; affectare honores. quamobrẽ cum affectationẽ honorum, et appetitionẽ toties nominet philoſophus in harum virtutũ, quæ ad honores pertinẽt, deſcriptione, videtur, niſi fallor, maluiſſe eas referre ad cõcupiſcibilẽ animæ appetentis facultatem, quã ad iraſcibilẽ, neq; valet eorũ ratio, qui aiunt, magnanimitatẽ: quia reſpicit ardua: reponendã in iracundia potius, quam in cupiditate: quoniam ſequeretur ad eandem animæ facultatem iraſcibilem magis referendam eſſe & magnificẽtiã, et multo magis temperantiã ipſam: cũ longe difficilimum ſit ex Heracliti ſententia teſte Ariſtotele, & maxime arduum, à voluptatibus ſe temperare. Quod autem ira quoq;, cum diffinitur vindictæ cupiditas, cui moderatur manſuetudo, magis ſpectare debeat ad concupiſcibilem animæ partem hac ratione facile comprobatur. Vbi enim eſt continentia, &*

*incontinentia, ibi eſt & concupiſcibile. in ira eſt continentia, & incontinentia, ut ex Ariſtotele jam demonſtravimus, ira igitur etiam magis ad concupiſcibilem animæ partem eſt referenda, quod probare Ariſtoteles quoque ipſe apertius videtur, dum ait quinto capite quarti libri, ultionem ponere iræ modum, pro dolore voluptatem efficientem, & in ſecundo capite ſecundi libri rhetoricorum, dũ aſſerit, ad omnem iram quandam ſequi voluptatem: cum jucundum exiſtat, ſi quis putat, ea ſe cõſecuturum, quæ expetit, & in tertio Eudemiorum, iram voluptatem quandam habere propter ſpem ultionis ſumendæ. unde & M. Tullius in tertio libro Tuſculanarum quæſtionũ affirmat, iracundiam eſſe libidinis partem, & diffiniri libidinem ulciſcendi. Quare optima ratione manſuetudo connexa eſſe videtur cum magnanimitate, & modeſtia, quæ ſpectãt ad moderandam honorum cupiditatem: quemadmodum manſuetudo refertur ad moderandam libidinem ulciſcendi, quæ ex contumelia, & ex inhonoratione quadam oriri videtur, cum præſertim etiam hæ omnes virtutes*

*tutes referri poſſe videantur magis ad concupiſcibilem animæ facultatem, quam ad iraſcibilem. Nec ſum neſcius, Platonem, & pleroſque alios ſummæ authoritatis viros ab hac ratione diſſentire, quorum opinionem non improbo, ſed ego Ariſtotelem ſequor. Non incommode hoc ipſo in loco perquirendum ducimus, quare philoſophus in his libris, nec animæ facultatem appetentem ſubdiviſerit in iraſcibilem, & concupiſcibilem; ut fecit capite tertio decimo primi libri Magnorum Moralium, neque virtutes morales retulerit partim ad hanc, partim ad illam ejuſdem animæ appetentis facultatem, ut fecit in libello de virtute. Cum itaque perdifficile eſſe animadvertiſſet, poſt perſcriptos libros magnorum moralium, & libellum de virtute, clare, atque aperte ſine ulla dubitatione diſtinguere, quæ virtutes eſſent penitus referendæ ad facultatem iraſcibilem, & quæ ad concupiſcibilem, prudentiſſimè noluit in his libris moralium Nicomachiorum in harum difficultatẽ laqueos ſe conjicere. fortitudo enim partim refertur ad concupiſcibilẽ animæ facultatem, quatenus mo-*

*deratur moleſtiæ, quæ ex mortis metu profici-ſcitur; partim refertur ad concupiſcibilem, quatenus moderatur confidentiæ, & volupta-ti, quæ ex ea provenit. Et temperantia pariter ad utranq; animæ partem referri videtur i-pſemet aperte oſtendit, dum ait capite decimo tertii libri: Ac temperantiam in voluptatibus eſſe mediocritatem jam dictum eſt minus.n.et non ſimili modo verſatur in doloribus, qui con ſequuntur animæ appetentis facultatē iraſci-bilem. Oſtendit igitur temperantiam mode-rari; & voluptatibus, quæ conſequuntur fa-cultatem animæ concupiſcibilem; & dolori-bus, qui conſequuntur facultatem animæ i-raſcibilem. Cum ergo hoc proſpiceret philoſo-phus, utrunque prudentiſſime evitavit, & ſubdiviſionem animæ appetentis in iraſcibilē, concupiſcibilem, & hujuſmodi virtutum di-viſionem; in eas, quæ referentur ad faculta-tem animæ iraſcibilem; & in eas, quæ referē-tur ad facultatē animæ concupiſcibilem, cum vidiſſet, ſe non tā clare, atq; diſtincte id efficere potuiſſe, ſeu potius id fecit: quoniam nuſ-quam aperte ex propria ſententia animam*

diviſit in iraſcibilem; & concupiſcibilem, neque in libris de anima, neque in libris moralium Nicomachiorũ, ſed tantummodo in intelligentem, & per ſe compotem rationis, in qua collocat virtutes intellectivas; & in eam, quæ paret rationi, in qua collocat virtutes morales. Quam autem animæ diviſionem adhibuit in libello de virtute, & in libris magnorum moralium, Platoni attribuit, atque ex ejus ſententia ea utitur. Nullæ igitur, ut ad propoſitum revertamur, aliæ virtutes ad perficiendam animam appetendam neceſſariæ exiſtimari debent. nam cum per has ſui perfectionem conſequatur, & in reprimendo mortis metu et in refrenanda libidine, & in ventris, ac gutturis vitio, & in tollenda avaritia, & in ſuperanda ambitione, et in moderãda vindictæ cupiditate, et in regendis ſermonibus noſtris, et in expellenda injuſtitia, quid aliis virtutibꝰ moralibꝰ nobis opꝰ eſt? Si quæ tamẽ ſunt, nomina ſunt virtutũ, & inania nomina, non virtutes, cũ ſub his, quas enumeravimꝰ, cõtineri poſſint. Sed jã breviter demõſtremꝰ, Ariſtotelẽ non minorẽ adhibuiſſe prudentiam in or-

*dinandis virtutibus quoq; intellectivis. Duæ itaq; ſunt partes animæ p ſe ratiomẽ habentis; altera, qua cõtemplamur ea, quorũ principia non poſſunt aliter ſe habere; altera, qua ea perſpicimus, quæ aliter ſeſe habere poſſunt. Harũ prima eſt visſciendi ex qua oritur ſciẽtia. Secunda vero, quæ eſt eorum, quæ aliter ſe habere poſſunt, habet aliquid, quod ſub effectionẽ cadit, & aliquid, quod cadit ſub actionẽ. Quod ſub affectionem cadit, appellatur Ars, & diffinitur habitus vera cum ratione effectivus. quod cadit ſub actionem, nominatur Prudẽtia, & diffinitur habitus agendi circa bona humana vera cum ratione. Quamobrem ſapientiſſime Ariſtoteles diſtinctis his habitibus intellectus, primo agit de ſcientia, tanquam de notiori habitu intellectus inter reliquos habitus ſpeculativos, eamq; ait eſſe habitum demonſtrativum, inde agit de Arte, tum etiam de prudentia, quarum altera erat habitus effectivus, altera erat habitus activus. Sed quoniam ſcientia ſumit ejus principia indemonſtrabilia ab habitu intelligentiæ: iccirco, poſteaquam pertractavit de ſcientia, de arte,*

*& de*

& de prudentia, rediens ad eos habitus, qui erant de his rebus, quorum principia aliter ſe habere non poterant, tractat de ipſa intelligentia, quæ ſcientiæ ſubminiſtrat cognitionẽ principiorum indemõſtrabilium. unde eam appellat habitum principiorum. Verum quia etiã ſapientia, tanquam quid compoſitum ſub ſe, & ſcientiam, & intelligentiam continebat, quemadmodum & juſtitia in ſe reliquas virtutes morales conplectebatur, ideo proſtremo tractat & de ſapientia. unde eam ait eſſe, & ſcientiam, & intelligentiam eorum, quæ honorabiliſſima ſunt natura. His ita diſpoſitis revertitur, quod erat ejus princeps intentio, ad prudentiæ partes diſtinguendas, & explicandas, & ad ſolertiam, bonam ſententiam, & ſagacitatem pertractandas, quibus, tanquam coadiutricibus utitur ipſa prudentia in humanis actionibus peragendis. Hoc in loco animadvertenda eſt ſumma Ariſtotelis prudentia, qui, cum conſideraret, exactam pertractationem ſcientiæ, intelligentiæ, & ſapientiæ pertinere ad libros analyticorum poſteriorum, & metaphyſicorum, in his libris de

*moribus ea tantummodo leviter attingere voluit, quæ facile intelligi poſſent ab auditore civili; quæ vero ſublimiora, difficiliora eſſe judicavit, ea reſervavit in metaphyſicis, et in libris poſteriorũ analyticorum, tanquã in proprio loco, ubi agit et de ſcientia, et de ſapientia, Quare hac in parte alteram rudi quadã ratione deſcribit, & ſcientiam & intelligentiã eorum, quæ hororabiliſſima ſunt natura; & alteram eſſe ait habitum demonſtrativum, & reliqua quæ dixit in analyticis, quaſi inferre voluerit, ſatis eſſe auditori hujus civilis philoſophiæ cognoſcere ſcientiam eſſe habitum demonſtrativum, neque eſſe neceſſaria, quæ in libris analyticorum poſteriorum ipſe addidit in ea exacte diffinienda. Poſt horum, & moralium, & intellectivorum habituum tractationem agit de eorundẽ diſpoſitionibus, hoc eſt de continentia, & tolerantia, & ſimul etiam de virtute heroica, atque his ultimam manũ imponit omnibus virtutibus & moralibus; & intellectivis, & virtuti heroicæ, & ſemivirtutibus, quibus addit diſputationem de voluptate, & dolore, eo quod, ut affirmat in undecimo*

*decimo capite ſeptimi libri ethicorum, virtus moralis, & vitium verſarentur in voluptatibus, & doloribus. Quoniam vero, ut paulo ante etiã diximus, amicitia tacite continebatur in ipſa diffinitione felicitatis, ut ſignificare oſtendimus Ariſtotelem octavo capite primi libri moralium Nicomachiorum, dum aſſerit actiones ex virtute non facile fieri ſine amicis, & dum eam appellat in nono capite noni libri de moribus, externorum bonorum maximũ, & præſtantiſſimum, eoque affirmat felicem ſummopere indigere, et dũ aſſerit in undecimo capite ſecundi libri magnorũ moralium, eam tendere ad omnem vitam, & omni tempore bonum eſſe, quo ad felicitatem conſequendam. Iccirco poſt pertractationẽ virtutum omniũ, & ſemivirtutum, & virtutis heroicæ, & voluptatis, in octavo, et nono libro, tanquã in loco maxime ꝓprio agit de amicitia, et ut de quadã virtute, et ut de re cum virtute conjuncta, et ut de bono rerum externarum maximo, ac præſtantiſſimo, & tandem in decimo iterum tractat de voluptate: poſteaquam ea ex vi diffinitionis ineſſe videbatur in ipſa felicitate,*

*tum in ea ejus parte, quæ provenit ex virtutum moralium actione, tum maxime in ea, quæ proficiſcitur ex perfectiſſima actione virtutum intellectivarum. nulla enim poteſt inveniri actio vere ex virtute, & in vita perfecta, niſi habeat comitem voluptatem, nam quæ violenta ſunt, non poſſunt eſſe perpetua, & præſertim uſque ad ultimum vitæ terminum, ut vult philoſophus. Neque mirum videri debet amicitiam, & voluptatem collocatas fuiſſe in hac poſtrema ſede inter alias partes felicitatis, cum non ſit ex ejus vi, & ſubſtantia, ut ſunt ipſæ virtutes, ſed tanquã præſidia, & adjumemta quædam, ſine quibus nõ eſt, nec facile ſit actio ex virtute. Hinc ait Ariſtoteles in ſeptimo capite libri ſecundi magnorum moralium, ſibi ideo agendum eſſe de voluptate: quoniam diffinierat felicitatem eſſe virtutis actionem, virtutemque verſari in voluptatibus, & doloribus, & quia felicitatem arbitrarentur omnes aut voluptatẽ eſſe, aut vitam quandam voluptuoſam, aut non ſine voluptate. Sed quæri peropportune videtur, quamobrem Ariſtoteles diſſerat de voluptate*

*ptate duobus in locis, inter ſe disjunctis, & in ſeptimo libro ethicorum poſt tractationem vir tutum omnium, & continentiæ, & toleran-tiæ & in decimo libro ante tractationem fe-licitatis. Quare in ſeptimo libro, ut ego, arbitror, tractat de voluptate, & dolore: quia omnis virtus, & virtutum diſpoſitiones ver-ſarentur in voluptatibus refrenandis, & in doloribus ſuſtinendis, de quibus virtutibus, & ſemivirtutibus diſputaverat ſuperioribus li-bris; vel quia etiam ſignum habituum erat voluptas, & dolor. Voluptates, in quibus re-frenandis poſitæ erant virtutes erant vitioſæ, voluptates autem, quæ erant ſignum virtutũ, erant honeſtæ voluptates: Conjungenda itaq; erat hujuſmodi voluptatum & vitioſarũ & honeſtarum tractatio cum tractatione virtu-tum, & ſemivirtutum. Et quoniam pari-ter felicitatis civilis pars, tum activa, tum contemplativa habebat comitem volupta-tem: cum nulla fieri actio ex virtute poſſit, quin permixtam habeat voluptatem, ideo poſtea in decimo quoque libro iterum tractat de eo ſimpliciſſimo genere voluptatis, quod*

*erat conjunctum cum actione utriuſque perfectæ virtutis, ac præcipuè ſapientiæ, quod diffinit, quod totum, in ſe collectum, impartibile, concernens perfectionem actionum, quæ prodeunt à facultatibus animæ cognoſcitivis tam intellectus operativi, quam intellectus ſpeculativi, optime diſpoſitis erga earum objecta optime ſe habentia, ut finem ſubſequentem hujuſmodi operationes, quod eſt tanquam quid inſeparabile ab utraq; parte felicitatis civilis, tum activæ, tum contemplativæ. His explicatis breviter etiam hoc in loco declarandũ videtur, de quanam felicitate pertractet Ariſtotele in his decem libris de moribus, an de activa, an de contemplativa, an de civili, ex actione, & contemplatione permixta. Ego autem exiſtimo, eum diffinire hanc ipſam civilẽ, permixtam: cum propoſuerit in ſecũdo capite primi libri ethicorum, ſe pertractaturũ de eo ſummo bono, quod ſpectat ad facultatem civilem, quæ, quasnam eſſe in civitatibus ſcientas oporteat, tum quales queng;, diſſerere, & quouſq;, conſtituit. Hoc idẽ confirmat paulo poſt, quando inquit: Nam ſi etiã uni homini, & civi-*

& civitati idem bonum ſit, bonũ tamẽ civitatis & tueri majus quid, ac divinius videtur. Clarius etiã id oſtendit libri primo capite primo magnorum moraliũ, de eadem re verba faciens, hoc eſt de eodem ſummo bono. Atque de bono, inquit, dicendum nobis eſt, & de bono, non quidem ſimpliciter, at nobis hominibus bono: neque, enim de deorum bono, hic agendum eſt, de civili proinde bono pertractandum. Quod autem civile bonum, ſeu civilis felicitas mixta eſſe debeat ex actione, & contemplatione, comprobare non erit admodũ difficile. Civilẽ enim hominẽ, communem totius ſocietatis civilis utilitatem natum, & à natura ipſa productum neceſſe eſt modo virtutes activas, ſi oportuerit, modo comtemplativas, cnm fuerit in ocio, exercere, et poſt munera publica contemplationẽ tanquam à bello ad pacem ſe conferre. negociis enim diſtringimur, ut ociemur, & bellũ gerimus, ut in pace degamus. Ex quo inde aſſerit philoſophus capite quinto decimo ſeptimi libri politicorum, civibus fortitudine, & cõſtantia opus eſſe ad negotiũ, philoſophia vero ad ociũ temperãtia ac

*tem, & juſtitia utroque tempore. turpe namque eſſet in negotio quidem, ac in bello probos viros videri, in ocio vero, & in pace homines ſerviles. at hinc Lacedemoniorum legislatorē maxime reprehendit, quod non inſtituerit eorum rempublicam tam ad bellum, quam ad pacem. Quare, dum fuit in bello, ſe optime conſervavit, nacta autem pacem continuo interiit. Vnde legumlatorem optimæ à ſe inſtitutæ reipublicæ admonet, ut in diſciplina civibus tradenda curam habeat tam rationalis, & intelligentis civium animæ partis, quā appetentis. Perſpicuum igitur eſt, eam felicitatem ab Ariſtotele pertractari, quæ introducenda in animos civium civilis dicitur, eamque permixtam eſſe ex actione, & contemplatione. Quod autem hæc ipſa fuerit ejus ſententia, inde etiam magis demonſtrari poteſt, quod ex felicitatis diffinitione eliciat poſtea de virtute ſibi eſſe agendum, quam demum diſtinguit in activam, & contemplativam. nam ſi eam felicitatem erat definiturus, cujus potiſſima pars erat ipſa virtus; & ſi deinde virtutem partitur in activam, &*

*con-*

*contemplativam, de utraq; conjunctim pertractans: certe felicitatis civilis utraque pars; tam ea, quæ eſſet poſita in agendo; quam ea, quæ eſſet poſita in contemplando jam diffinita ſubintelligitur. ſi enim tantummodo activam felicitatẽ diffiniſſet, ad quid tractatio de virtute contemplativa? Si tantummodo cõtemplativam, ad quid tractatio de virtute activa? Sed cum felicitatem civilem ſe diffiniſſe intelligeret, quæ erat quid ex utraque conflatum, prudentiſſime, ſeipſum cõtinuans, tranſit ex diffinitione hujuſmodi felicitatis ad tractationẽ virtutis, eamq; dividit in activã, & contemplativam: cum utraq; ſit maxime neceſſaria ad civilem felicitatem conſequẽdam, quam jam probavimus eſſe mixtam ex actione, & contemplatione. In decem igitur libris ethicorum agit Ariſtoteles de felicitate civili, & de omnibus partibus, quæ in diffinitione ejuſdem felicitatis, aut aperte, aut tacite ſubintelligerentur ea ſane continuatione, & ſerie, qua nec ſapientior, nec dilucidior ulla alia inveniri poteſt. Quamobrem ex his, quæ breviter conſideravimus, notandum, atque ani-*

*madvertendum eſt, harũ omnium partium pertractationem oriri ex antecedẽti conſtitutione felicitatis; quæ ſi poſita fuiſſet aut in divitiis, aut in voluptate corporis, nulla daretur occaſio diſputandi de virtutibus; Si in cognitione ideæ boni, nullus pariter eſſet locus aut amicitiæ, aut civitati, aut reipub. aut legibus, cum hæc hujuſmodi finis conſecutio longe facilius haberi poſſit in ſolitudine, quam in celebritate civili. Non poterat igitur Ariſtoteles partes hujus diſciplinæ terminare, niſi prius finem ipſum conſtituiſſet, à quo deinde eas derivaret. Ex varietate namq; finis naſcitur & varietas partium, quæ proprio fini reſpondeant. Alias enim partes habebit Philoſophia Moralis Epicureorum, qui ponebant ſummũ bonũ in voluptate: Alias Philoſophia Moralis Stoicorũ, qui ponebant ſummũ bonum in ſolo virtutis habitu; alias Philoſophia Moralis Platonicorum, qui ponebant ſummum bonum in idea boni. Cum itaq; Philoſophus rerum agendarum finem in actione animæ ſecundũ virtutem in vita perfecta firmaverit, & ſtabilierit, neceſſario ſequi videtur, eum debuiſſe agere*

*gere de animæ diviſione,et de virtutibus,et de amicitia,& de voluptate,ut jam oſtendimus, & præterea de civitate , de rep: & legibus , cũ extra civitatẽ,& ſine magiſtratuum,& legũ auxilio nõ poſſit introduci in animos hominũ hæc hujuſmodi actio ex virtute.Sed cum ſatis hacten⁹ multa dixerimus de partibus ejus pertractationis, quæ erat de felicitate, demonſtraverim uſq;, nullam omnium ejus partium aliũ potuiſſe commode ſortiri locum quã eum, quem ſingulis idem tribuit Ariſtoteles ,eamque felicitatem diffiniri oſtenderimus,quæ eſſet permixta ex actione, & contemplatione, progrediamur ad conſiderandas quoque partes ejus pertractationis, quæ erat de civitate, ut eas pariter prudentiſſime ab eodem Ariſtotele diſpoſitas doceamus. Hujus autem pertractationis partes ſunt civitas, familia, cura familiaris. De cura familiari verba facit philoſophus familiæ gratia.niſi enim prior ſit familia , nihil opus eſt earum rerum acquiſitione,quib⁹ ea ſuſtineatur,& cõſervetur. De familia vero mentionẽ facit gratia civitatis niſi enim totam civitatẽ cognoverimus,*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-224981-p0073-5

*nequaquam etiam familiam, quatenus civitatis partem cognoſcemus. nam ignorato toto, ejꝰ quoq; partes ignorari neceſſe eſt. Ergo quod attinet ad notitiam harum trium partium, cura familiaris ſupponit cognitionẽ familiæ, familia ſupponit cognitionem civitatis. Totum hoc explicare videtur Ariſtoteles in principio tertii capitis primi libri politicorum ſub his verbis: Quoniam vero declaratũ eſt, quibus ex partibus conſtituta ſit civitas, neceſſarium videbatur de re domeſtica dicere. omnis enim civitas ex domibus conſtat. eſt præterea quædam pars, quæ verſatur in rerum acquiſitione, quæ & ipſa quemadmodum ſe habeat eſt conſiderandum. ex his optime conjicitur et res ſubjecta, & ordo, quo rei ſubjectæ partes ſint diſponendæ. Dum itaque philoſophus de familia agit, de univerſa certe civitate agit, quæ ex familiis conſtat. Verum accedamus quoq; ad partes tertiæ tractationis diſtinguendas, quæ erat de republica, ut id ipſum pariter comprobemus, hoc eſt eas ejuſmodi obtinuiſſe locum, qui erat proprius unicuiq;. Quamobrem primum Ariſtoteles diffinit rempublicam,*

cam eamque tanquam genus partitur in ſuas ſpecies, in rectas ſcilicet rerumpublicarũ formas, hoc eſt in regnum, in ariſtocratiam, & in ſimpliciter dictam communi nomine rempublicam; & in eas, quæ ab his deflectunt, hoc eſt in tyrannidem, in oligarchiam, & in dimocratiam. Rerumpublicarum formis hac ratione ſigillatim diſtinctis, & diffinitis aperit cauſas, & quæ generatim omnes reſpublicas, & quæ particulatim unamquanque earum corrumpãt et deſtruant. His adjungit eadem progrediendi via cauſas conſervationis, quæ & omnes communiter, & unamquanq; ſeparatim tueantur; atque in hac parte præponit cauſas corruptionum cauſis conſervationum: quod prius noſſe oporteat morborum genera, quam ſingulis adhibere medicamenta. Hanc ſeriem inter has partes ſe obſervaturũ pollicetur Ariſtoteles, quando ait in fine ſecũdi capitis quarti libri politicorum: Tandem vero cum omnium rerum publicarum hactenus breviter facta fuerit mentio, conandũ erit referre, quænam labes, & quæ conſervationes ſint rerum publicarum; & communiter a-

*mnium & particulatim unius cujuſque, & in primis verbis quinti libri, cum ſubjungit: De aliis quidem omnibus, de quibus dicere ꝓpoſuimus, fere dictum eſt, ex quibus autem mutentur reſpublicæ, & quot ea ſint, & qualia, et quæ nam ſint ſingularum corruptiones, et labes, et ex qualibus in quales maxime mutentur: præterea quæ remedia generatim & ſpeciatim uniuscujuſque, & per quæ maxime conſervari poſſit unaquæq; rerumpublicarum conſiderandum deinceps erit. Neq; hæc progreſſio caret ratione. nam primo neceſſe erat afferre diſſinitionem, & differentias rerumpublicarũ, et deinde agere de cujuſq; particulatim corruptionibus, & cõſervationibus. His ad finem perductis ſuſcipit formandã in ſeptimo libro politicorum ſimpliciter optimã rempublicã, quæ ſupponit cognitionẽ rectarũ rerumpublicarum, regni videlicet, ariſtocratiæ, et ſimpliciter dictæ reipublicæ, ex quibus ipſa componebatur; et earum pariter rerũ publicarũ, quas à rectis jam diximus deflectere, ut in optima cõſtituenda omnia incommoda, et cauſæ, quæ ſingulas deſtruerẽt, evitarentur. Non poterat itaque Ariſtoteles non adhibere*

*hunc ordinem in hac ipſa pertractatione, quæ erat de republica. Niſi enim diſtinxiſſet earũ formas, non poterat continenter tradere unius cujuſq; cauſas corruptionis, et conſervationũ, & niſi hoc utrunq; præſtitiſſet, nulla certe ratione potuiſſet ultimo loco agere de perfectiſſima republica. Id autem eo conſilio ab eo factũ videri poteſt, ut fugeret, quemadmodum diximus, quicquid eſſet imperfectum, & perfectiſſimum quid ex omnibus cõſtitueret. Hanc progrediendi rationem ſe diligenter ſervaturum oſtẽdit in ultimis verbis ultimi libri ethicorũ, cum proponit, quid ſibi agendum ſit in ea diſputatione, quæ erat futura de republica. primũ itaq;, inquit, ſi quid recte à majoribꝰ dictum ſit, id enitamur recenſere: deinde ex collectis rebuspublicis, quæ nam ſint ea cõſiderabimus, quæ ſingulas reſpublicas, et corrumpũt, et cõſervant. His enim conſideratis, quæ nam optima reſpublica ſit magis perſpicere poterimus. Eum vero ordinẽ ſervat in ꝑtractatione rerũ publicarum, quẽ etiam diligentiſſime obſervat in pertractãdis virtutibus moralibus. nam cũ in ethicis primo de reliquis omnibus*

*virtutibus moralibus, & de extremis earum vitioſitatibus egerit, & poſtremo de earum optima, ac perfectiſſima, hoc eſt de juſtitia, quæ eas omnes in ſe continebat: ita pariter in his libris de republica prius diſtinguit rectas rerum publicarum formas à depravatis: inde agit de ſingulis, & poſtremo tractat de perfectiſſima, quæ omnes rectarum rerumpublicarum formas evitatis contrariis in ſe complectabatur. Hunc totum ordinem de partibus ejus pertractationis, quæ eſt de republica, confundunt, & invertunt, qui ſentiunt, ſeptimum, & octavum librum politicorum inter tertium, & quartum eſſe cõjiciendos. quia neceſſe eſt, ut aut præter intentionem Ariſtotelis divellant leges publicas à legibus familiaribus, quæ ex earum natura: cum ſint ſpecies ejuſdem generis: maxime conjunctæ eſſe deberent; vel ut transferant duos quoque libros œconomicorum ante ſextum librum politicorum, quod certe ejus ſententiæ minime conſentaneum putari debet. philoſophus etenim poſt optimam jam à ſe conſtitutam rempublicam tractaturus erat de legibus, cum de publicis,*

blicis, tum de familiaribus, ut utranq; legum ſpeciem, unam cõjunctim poſt alteram in hac ipſa tractatione continuaret, quemadmodum una, atque altera ſpecies ejuſdem generis requirere videbatur. neque valet eorum ratio, qui objiciunt, Ariſtotelem in fine tertii libri politicorũ propoſuiſſe ſibi agendũ eſſe in ſequẽtibus libris de optima republica, de qua tamẽ, ut iſti volunt, pertractat, non in quarto libro, ſed in ſeptimo politicorum. nam duplicem intelligit philoſophus optimam rempublicam, ut ſe ipſum interpretatur, in primo capite ſequẽtis quarti libri; alteram quidem, quæ, quantum fieri poſſit, optima ſit, de qua incipit agere in principio quarti libri politicorum, & de qua agit in undecimo capite ejuſdem quarti libri, ut propoſuerat in extremis fere verbis tertii libri; alteram vero, quæ eſt ſimpliciter optima, de qua verba facit in ſeptimo politicorũ. ergo non ſequitur, ut liber ſeptimus politicorum poſt tertium adhibeatur, cum etiam in quarto libro pertractet de optima republica, hoc eſt de ea, quæ, quantum fieri poſſit, optima ſit. In ea vero pertractatione, quæ eſt de le-

gibus publicis, has philoſophus potiſſimum partes recenſet, hoc eſt leges, quæ pertinerent ad perficienda corpora civiū; leges, quæ pertinerent ad eorū perficiendam animæ facultatem appetentem; et leges, quæ pertinerent ad eorū dem perficiendam animæ facultatē intelligētem, quarum omnium in hac diſciplina tradenda primæ ſunt, quæ ſpectant ad corpora civium recte informanda; ſecundæ, quæ ſpectāt ad recte informandam eorum animæ facultatem appetentem; ultimæ eæ ſunt, quæ ſpectant ad recte informandā eorum facultatem animæ intelligentem. Cujus collocationis, atq; ordinis ſapienter reddit rationem ipſemet Ariſtoteles in quinto decimo capite ſeptimi libri politicorum ſub his verbis: Deinde ut anima, & corpus duo ſunt: ita quoq; duas videmus eſſe animæ partes; unam expertem rationis; alteram, quæ habet rationem. habitus quoque earum duos, quorum alter eſt appetitio, alter mens. Vt autem corpus in generatione antecedit animam: ſic pars expers rationis antecedit eam partem, quæ habet rationem. patet id in pueris, quibus ſtatim ira, & voluptas, &

concupiſcentia exiſtit, at ratio, & mens procedente ætate in illis fieri natæ ſunt. Quapropter corporis curam neceſſe eſt prius ſuſcipere, quam animi: deinde appetitus. curam tamẽ appetitus, qui gratia mentis. curam vero corporis, qui gratia animi. Earum vero legum, quæ ſpectant ad corpora ciuiũ optime procreanda, et ꝓducenda; Aliæ ſunt ante generationẽ: ut ſunt eæ, quæ ſanciunt, qua ætate debeãt eſſe qui matrimonio copulantur ad hoc, ut poſſint corpora civiũ, quã optima generare, & parere; Aliæ ſunt in ipſa generatione: ut ſunt eæ, quæ imperant, quid partes obſervare debeant in ipſa generatione, et quid matres, dum aluũ gerunt; Aliæ ſunt poſt partum, ut civiũ corpora in lucem ſunt edita: ut ſunt eæ, quæ præſcribunt, quibus inſtrumentis corpora civiũ ſunt dirigenda, et quibus alimentis ſunt nutriẽda. Eæ leges, quæ ſpectant ad informandam civiũ animæ facultatẽ appetentem ſunt, quæ ſanciunt, quid videre, quid audire pueros oporteat ad rectã eorum inſtitutionẽ. Eæ vero leges, quæ referuntur ad informandã civiũ facultatem animæ intelligentẽ, eæ ſunt, quæ imponũt, quæ

diſciplinas pueri diſcere debeant, & uſque ad quod tempus ætatis. Eæ autem ſunt literæ, gymnaſtica, muſica, et figurandi peritia. In hac parte, quæ pertinet ad diſciplinã tradendam, et ad inſtitutionem puerorum, videtur deeſſe ea legumlationis pars, qua eos legumlator inſtituit à tertio anno poſt pubertatem uſque ad annum vigeſimum primum. Hanc vero progreſſionem diſciplinæ non obſcure ſignificavit philoſophus, cum in ultimo capite ſeptimi libri politicorum, duas eſſe ætates dixit, in quas neceſſario diſciplinæ dividerentur; alteram poſt ſeptimum annum uſque ad pubertatem; alteram à pubertate uſque ad annum vigeſimum primum, quæ pars exigua à tertio anno poſt pubertatem uſque ad annum vigeſimum primum, ſi extaret, haberemus profecto integram, atque undique abſolutam ex Ariſtotelis ſententia univerſam tractationem, quæ eſſet & de felicitate, & de civitate, & de republica, & de legibus publicis. Non deſunt tamen, qui arbitrantur, politicis Ariſtotelis plura deeſſe, quam ſupra demonſtravimus, hoc eſt pertractationem de re militari, de regali

gali

gali, de ſacerdotali, eamque duobus libris ſub perſona Ariſtotelis græco, & latino ſermone literarum monumentis tradunt, cum nihilominus diſciplinam civium philoſophus terminaverit in his quatuor rebus tantummodo, in literis, in gymnaſtica, in muſica, & in figurandi peritia, atq; hæc fere omnia præſtiterit in quinque ultimis capitibus ſeptimi, & in toto octavo libro politicorum, nihilque unquã de re militari, de regali, de ſacerdotali cogitaverit, neque agendum ſibi propoſuerit. Sed ad propoſitum revertamur, & quæ reliqua ſunt perſequamur. Diſciplinæ domeſticæ, & familiaris duæ ſunt partes, ut teſtatur Ariſt. ſecundo capite primi libri œconomicorũ, Homo, & Poſſeſſio, poſſeſſioq; gratia hominis, hoc eſt viri, & uxoris, ideo homo erit pars prior, poſſeſſio vero pars poſterior. Ad hominem pertinent leges viri ad uxorem, leges uxoris ad virũ, & leges communes ad utrunq;. Ad poſſeſſionem pertinent leges domini ad ſervos: ſervus enim poſſeſſio quædam eſt: leges patris familias circa pecunias, et divitias acquirendas, et ſi quid aliud in his libris œconomicorũ deſiderari fortaſſe vi

*detur ad integrã univerſæ hujus philoſophiæ conſtitutionem. Sed hac in parte inquirere aliquis fortaſſe non injuria poſſet, quamobrem Ariſtoteles non retulerit has ipſas leges familiares ad primum librum politicorum, in quo etiam pertractaverat de familia, tanquam de parte civitatis principaliſſima, ex qua ipſa cõponebatur. Huic quæſtioni in hunc modũ reſpõderi poſſe judicamus: quoniã familia ipſa, tanquã potiſſima pars civitatis, cum civitate ipſa conjungi, et tractari debebat: ex familiis enim ea conſtituitur: ſed leges familiares nihil ominus ſimul cum legibus publicis erant conjungendæ, cum ambæ, tam publicæ, quam familiares ſub uno legũ genere contineantur, & quia etiã leges familiares reſpicere publicas debeant, et nõ eas publicæ. Quare quemadmodũ familiæ tractatio, quæ eſt princeps pars civitatis, de qua præcipuè agebatur in primo libro politicorum, erat prima poſt libros ethicorũ: pari ratione tractatio legum familiarium, tanquã ſecunda legum ſpecies, & natura, & ordine, et dignitate etiam ultima eſſe debeat, & poſt leges publicas collocanda, ut manifeſte oſtendit Ariſto-*

riſtoteles & in ultimo capite ultimi libri ethicorum, & in ultimo capite primi libri politicorum. Hinc eſt, quod in legibus familiaribus pertractandis ſignificat, eas referri debere ad leges publicas civitatis. Vnde in quinto capite primi libri œconomicorum ſtatuit præmia & virtutũ, & vitiorum ſervis quoq; eſſe proponenda: quemadmodũ fit et publice in civitatibus: et paulo poſt in ſequenti ſexto capite præcipit, cuſtodiendã eſſe domum, non aliter, quam civitatẽ: et in primo capite ſecundi libri vetat, mulieres ſumptu, apparatu, et veſtitu uti majori, quã leges civitatis permittant. præterea cũ philoſophus in univerſa hac diſciplina ſibi agẽdum tantũmodo ꝓpoſuerit de felicitate, de civitate, de republica, et de legibꝰ duo libri certe œconomicorũ, ſi locũ aliquẽ in hac ipſa philoſophia habere debebunt, referẽdi ſunt; aut ad tractationẽ, quæ eſt de felicitate; aut ad tractationẽ, quæ eſt de civitate; aut ad tractationem quæ eſt de republica, aut ad tractationẽ, quæ eſt de legibus. Sed non referuntur ad tractationẽ felicitatis: quoniam neceſſario ſequerentur poſt decem libros ethicorum. nõ referuntur ad

*tractationem civitatis: quoniam ſequerentur poſt primum librum politicorum. non referuntur ad tractationem reipublicæ: quoniam ſequerentur poſt duodecimum caput ſeptimi libri politicorum, in quo explicit pertractatio, quæ eſt de republica. Ergo neceſſe eſt referendos eſſe ad tractationem, quæ eſt de legibus publicis, cum leges publicas ſequantur, quæ in quinque ultimis capitibus ſeptimi, & in toto octavo libro politicorũ continentur, ut tanquã altera legum ſpecies, quemadmodum diximus, cum altera legum ſpecie conjungerentur. Quod autem leges familiares ſub nomine legum comprehenderit Ariſtoteles, nemini dubium futurũ arbitror, cum ex ejus propoſitione in ultimis verbis ultimi libri ethicorum, tum ex progreſſione, & ex inſcriptione œconomicorum. In ultimis verbis ultimi libri ethicorum id clariſſime oſtendit, quando his verbis proponit poſt pertractationem felicitatis, quid ſibi eſſet agendum in reliquis decem ſequentibus libris politicorum, & œconomicorum: cum itaque ſuperiores, ait, prætermiſerint negocium de legum latione inexploratum.*

tũ, melius fortaſſe eſt ut id nos conſideremus atque omnino de republica, ut ꝑ viribus philoſophia, quæ in rebus humanis verſatur, perfecta, atque abſoluta ſit. Quamobrem legumlatonis nomine in hac propoſitione leges tã publicas, quam familiares complectitur Ariſtoteles: niſi enim hac ipſa propoſitione & familiares etiam complexus fuiſſet, nequaquã profecto dixiſſet ex felicitatis, & reipublicæ, & ex legumlationis pertractatione, abſolutam fore omnem philoſophiam, quæ erat circa res humanas: quoniã adhuc ſuperfuiſſet hæc humanæ hujus philoſophiæ particula, eaq; nõ negligenda, quæ leges familiæ continebat. Quod autem legum nomine leges quoque familiares intellexerit, cum inſcriptio, ut ſupra etiam demonſtravimus, œconomicorum oſtendit, quod nomen nihil aliud ſignificat, quam pertractationem legum familiarium; tum præterea demonſtrat, quia ea præcepta, quæ traduntur in œconomicis, leges appellat: ut leges viri ad uxorem: leges uxoris ad virum; leges domini ad ſervos: leges patris familias circa pecunias, & divitias acquirendas. Ex his igitur, quæ à nobis huc uſque breviter dicta ſunt de

*conſtitutione partium univerſæ, et civilis philoſophiæ apparet, eam eſſe, tanquã perfectiſſimum quoddam animal, omnibus ſuis partibus abſolutum, in quo, ſi quid ſuo loco dimoveatur, protinus monſtrum efficere, nõ aliter, quam ſi in noſtro corpore conformando alium locum capiti, alium buſto, alium brachiis, alium pedibus, & alium denique ſingulis particulis harum principum partium, tribuamus, quam eum, quem his omnibus dedit natura ipſa, rerum omnium parens, atq; magiſtra, quam quidem rem clarius etiam demonſtrabunt ſequentes tabulæ, quæ breviter univerſæ hujus philoſophiæ integram imaginem, quaſi in illuſtri poſitam monumento unicuiq; ante oculos conſpiciendam proponent. Et quoniam non errare divinum eſt, quæ in hac præfatione, ſeu potius introductione diximus, ea omnia eruditorum judicio examinanda committimus, ingentes etiã gratias habituri, ſi quis non aberrantes in rectam intelligendi viam reduxerit.*

DE

# DE PRINCIPVM PARTIUM UNIVERSÆ HUMANÆ, ET CIVILIS PHILOSOPHIAE CONSTITUTIONE,

*QVAM ARISTOTELES decem libris Ethicorum, Octo Politicorum, & duobus Oeconomicorum ſapienter conſcripſit.*

Tabulæ per diffinitionē, & diviſionem.

PHILOSOPHIA HUMANA, Activa, & Civilis eſt diſciplina dirigens ſocietatem civilem ad propriam felicitatem per optimam rempublicam, ejuſque leges, tam publicas, quam familiares.

*Hujus Philoſophiæ Humanæ, Activæ, & Civilis,*

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Prima pars eſt, Summū bonum* 1 | *Secunda pars eſt Civitas ipſa, quæ* 2 | *Tertia pars eſt Optima Reſpubli* 3 | *Quarta pars ſunt Leges, tanquam inſtrumenta inanimata introducendæ felicitatis.* |

| 1 | 2 | 3 | Harum legum, | |
|---|---|---|---|---|
| humanū | felicita- | ca, hoc | | |
| civile, | tem civi | eſt opti- | Aliæſunt | Aliæſunt |
| hoc eſt fe | lemintro | mus or- | publicæ, | familia- |
| licitas i- | ducendā | do magi- | quæintro | res, quæ |
| pſa civi- | in ſe reci | ſtratuū, | ducant | introdu- |
| lis intro | piat, quæ | qui tan | felicita- | cant feli |
| ducenda | inde fit ꝓ | quam in | tem civi | citatem |
| in civita | priū ſub- | ſtrumen | lem in ci | civilē in |
| tem, quæ | jectū per | tum ani- | vitatē, | familias, |
| inde fit | tractan- | matum | quæ inde | quæ inde |
| propriū | dū in pri | introdu- | fiunt pro | fiunt pro |
| ſubjectū | mo libro | cat felici | priū ſub- | priū ſub- |
| pertra- | politico- | tatem ci | jectum | jectū per |
| ctandum | rum, ut | vilem in | ꝑtractā- | tractan- |
| in priori | patet ex | civitatē, | dum in | dum in |
| bus decē | primis | quæ inde | quinque | duobus |
| libris to- | Ariſtote | fit propri | ultimis | libris, |
| tius hu- | lis verbis | um ſubje | capitibꝰ | qui œco- |
| manæ, et | in princi | ctum per | ſeptimi | nomica |
| civilis | pio politi | tractan- | libri, & | inſcribū- |
| philoſo- | corum, | dum in | in toto o- | tur. Hæc |
| phiæ, qui | cūinquit | quinque | ctavo po | tota per- |
| Ethica | Quoniā | libris ſe- | liticorū. | tracta- |
| Nicoma | videmꝰ, | quenti- | per leges | tio de le- |
| chia in- | omnem | bus, & | autē pu- | gibus fa- |
| ſcribun- | civitatē | in primis | blicas, in | miliari- |
| tur, ut pa | eſſe ſocie- | duode- | telligit | bus deſu- |
| tet ex phi | tatē quā | cim capi | Ariſtote | mitur ab |
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |

1

loſophi ꝓ
poſitio-
ne, cum
inquit in
ſecundo
capitepri
mi libri:
Quodſi
ita eſt ſũ
mumbo-
num, dã
da opera
eſt, quod
namid
ſit figura
compre-
hendere.
Hoc au-
tem, ut
finis eſt
primum
inhac i-
pſa cogni
tione, cũ
ſit cauſa,
& princi
piũ, quẽ
admodũ

2

dam &
omnem
ſocietatẽ
boniali-
cuiusgra
tia cõſti-
tutam,
patet,
quod
principa
liſsima
ſocietas
omnium
contẽdit
adprinci
paliſsi-
mumbo-
norumo-
mnium
bonum.
hoceſtad
ipſamfe-
licitatẽ,
cujus nõ
eſt parti-
ceps ho-
moſolita
rius, cũ

3

tibus ſe-
ptimi li-
bri politi
corum.
Quodau
tem opti
mareſpu
blica in-
troducat
felicita-
tem civi
lem in ci
vitatẽ,
ipſemet
Ariſtote
les teſta-
turinter
tio deci-
mo capi-
teſepti-
mi libri
politico-
rum, cũ
inquit:
optima
reſpubli-
caeſt, ꝑ
quam ci-

4

les, non
eas, quæ
ſunt de
emptio-
ne, et vẽ-
ditione,
deque a-
liis rebus
contra-
hendis,
ſed de
his, quæ
præſcri-
bunt diſ-
ciplina,
educatio
nem, &
ſtudia ju
vẽtutis,
ut ipſe ſi-
gnificat,
cum ait
inultimo
capite de
cimilibri
ethico-
rũ. Quo
circa eſt

5

eodemul
timo ca-
pite deci-
mi libri e
thicorũ,
cumpro-
ponit phi
loſophus
inſequen
tibus. ſi-
bi eſſe a-
gendũ de
legibus.
& de le-
gumlati-
one, qui-
bus ver-
bis com-
prehẽdis
tam per
tractati-
onem le-
gum pu-
blicarũ,
quam ꝑ
tractati-
onem le-
gum fa-

1

